Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Oluf Gerhard Tychsen

# Handexemplar: Olai Gerhardi Tychsen ... Introdvctio In Rem Nvmariam Mvhammedanorvm : Mss. orient. 241(3)

[Nachlassmaterialien], Rostochii: Stiller, 1794

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515**

Nachlassmaterial Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0001
DFG




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0003
DFG

| Lose Blätter | vorgefunden |
|---|---|
| 1 | vor Titelblatt |
| 2-5 | nach Titelblatt |
| 6-11 | zu S. 14-15 |
| 12 | zu S. 34-35 |
| 13 | zu S. 172-173 |
| 14 | zu S. 220-221 |

Mss. orient. 241(3)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0004
DFG

1

Joseph Appel's Münz u. Medaillen Sammlung. Band 2. Wien mit Gerold. Schrift 1808. 127 S. in 8. mit 3 Kupfern auf welchen 5 Türkische Seiten mit Münzen abgebildet sind.



UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK ROSTOCK

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0006
DFG

pone caput



ad sinistrum latus pone tegen

ad dextrum latus

خشروي

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0007
DFG

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK ROSTOCK

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0008
DFG

Eckhels doctrina numorum

P.V. prolog. LX. col. 1. "Quin non deerunt exempla
certa et evidentia, alios tum accelerandi
operis modos fuisse adhibitos, atque istud
non fusione sed malleo. Nimirum numis
praecedentium imperatorum nonos suosque
impresserunt typos. Evidenter id docent
numi Regaliani et Druantillae, quorum
plerique duplicem offerunt typum - -

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK ROSTOCK

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0010
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0011
DFG

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK ROSTOCK





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0012
DFG

5

Numus VII. p. 13.

A عدل

بكر

B لله

المطيع لله

نوح بن منصور

ببخارا سنة

سبع وستين

وثلثماية

Diese Jahrzahl 367 ist so wie Al-Mathi ganz richtig von Hrn. Hoch. gelesen.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0013
DFG

Mem. VII. p. 13.

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK ROSTOCK

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0014
DFG



aereus

Nuh[illegible] Mansur
Bochara 381.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0015
DFG








Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0016
DFG

7

Numus 1. (Samarkand 1, Symbol 3 lines II) لله | محمد | رسول
بسمره
المتقي بالله | نصر بن احمد
zwischen 329 und 333.

— 2. vt n. 1. I. Bochara 335 خمس وثلثين وثلثمائة
المستكفي بالله II
نوح بن نصر

— 3. vt 1. Samarkand a. 334.
II. المستكفي بالله
عبد الملك بن نوح

4. مغرا Bochara 353. II لله
الملك المظفر
محمد رسول الله
المطيع لله
منصور بن نوح

5. فايق Samarkand 354. II vt 4.

6. عدل Alschasch ~~361~~. NB II vt 5
فايق 366 d 371 المطايع لله
cf. numoph. Potot. p. 27. annot. نوح بن منصور

7. عدل II vt n. 6.
لا اله الا الله وحده لا شريك له
نصر Bochara 367.

8. vt n. 7. Ort u. Jahrzahl verbleibt II ~~[illegible]~~ لله
محمد رسول الله
المطيع لله
نوح بن منصور

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK ROSTOCK

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0018
DFG





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0019
DFG

Jakuti (Notices T. II.) 9

p. 422. ارجان in Persia
p. 423. اسكندرية in Egypto
-424. افريقية in Magreb
-429. البيضة in Persia
-434. حمص Emessa in Syria
— حيرة iuxta Cufa in Irak
439. رصافه iuxta Rakkah
440. سامرا Samirra (Sarmanrai) inter Bagdad et Tekrit, ad latus orient. Tigridis
— سيرجان Serdgian vrbs Kerman
-441. سيراف vrbs Persiae
-442. شيراز in Persia
445. عانة vrbs inter Haël et Racca
447. غزنه in finibus Chorasanae
450 القادسيه iuxta Cufa.
451. قيروان Cyrene in Africa
452. كازرون in Persia
453. كوفه in Irak Babyl.
456. مصر
460. مداين
462. مهدية iuxta Cairwan in Africa
-501. همدان in Mesopot.
-504 ارمينيه prouincia in Aderbigian
-506. بخارا in Mawarennahar
-510. بردعة vrbs Aran } extructa
-510. بيلقان — Aran } a Cobad
-516. سمرقند in Mawarennahar.

p. 463. واسط inter Cufa et Basra
-464. هيت vrbs ad Euphraten
-467. امد in Mesopot.
-468 ارميه vrbs in Adherbigian (اذربيجان)
-469. اسفرايين vrbs in Chorasan
— اسفهان
-470. افشنه in territorio Bochara بخارا
-474. بعشور inter Herat et Merwarad
-474. بلخ in Chorasan
-479. بوشنج in Chorasan
480. حلوان inter Hamadan et Bagdad
482. دامغان Damagan inter Rei et Nisabur
486 ري Rei
487. ساوه
489. سنجار in Mesopot.
490. طوس in Chorasan iuxta Nisabur
497. مرو in Chorasan
498. مراغة
~~499 نسا Nisa~~
500. نيسابور in Chorasan

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0021
DFG

Alwardi Notices T. II.
p. 17. الواحات
— شمتريه

Eminentissimo et doctissimo
Dno STEPHANO BORGIA
S.R.E. Cardinali ppr.

d.
Auctor
Rostochii Kalend. Mart. MDCCXCVI.

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK ROSTOCK

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0022
DFG

Timur 2. p. 102. l. 11.

فقال ما ادخرت الدنانير الصفر والدراهم البيض الا الايام السود non recondidi aureos flavos et drachmas albas nisi die atro.

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK ROSTOCK

4123. Bismillah

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0023
DFG

تمكين dignitas. R. [illegible]

تحرير accurata scriptio. R. حَرَّ fuit caluit, liber

نَبْذَة particula, breuis descriptio R. proiecit, neglexit.

لطيفة subtilis, perspicax. R. subtilis, mollis fuit

بَرَّ I. III. morigerum se gessit, purus fuit, benefecit

إمْتِثَال executio rei. R. مثل similis fuit

VIII. efformauit, expressum extulit

سال fluxit. IV. fluere fecit

وجه دهر facies seculorum (primus seculus)

وَافِيَّة drachma arab. cum besse s. cum $\frac{2}{3}$.

R. وفي integer fuit p.

جُراقة الرجل maces vir

Die Türk. Jahre sind Mondjahre aus 12 Monaten bestehend, die abwechselnd 30 und 29 Tage haben.
Der Mondlauf bestimmt sich auf 29 Tage, 12 Stunden, 792 Scrupel,
und das ganze auf 354 Tage 8 Stunden, 48 Scrupel. Es
entfällt also 10 Tage 21 Stunden, 12 Minuten weniger als ein Sonnenjahr.
Es macht also 32 Sonnenjahre so viel aus als 33 arabische,
oder gemeine,
242 Sonnenjahre sind gleich 301 arab. od. Türkischen Jahren
Es sind folglich vom Anfang unserer Zeitrechnung bis auf das Jahr
1801, exclus 1180 Sonnenjahre verflossen, und demnach fällt
der größte Theil des Jahres 1801 bereits in das 1216te Jahr der Hegira.
Dasjenige ist auch der 1ste Tag des Türk. Jahres nicht an einem gewissen
Jahreszeit gebunden, sondern geht in einem Zeitraum von 33 Jahren
durch alle Jahreszeiten durch
Der Tag der Flucht Mahom. aus Mecca nach Medina, der 16 Jul. 622 Chr.
ist der Anfang unserer Zeitrechnung. Mithin dieses Jahr aus der
Nasawitischen aus 30 Jahren bestehenden Cyclus, in welchen die Jahre
2, 5, 7, 10, 13, 15, 18, 21, 24, 25, 29 als Schaltjahre angesehen werden
und einen Tag mehr als die übrigen, nemlich 355 Tage haben.
1461 dergl. Cyclen sind jetzo gerade 42524 Julianische Jahre gleich.
Der Tag unserer Geburt, an welchem das Türk. Jahr anfängt, muß
jedesmal besonders [illegible] für das J. 1801 fällt der Türkische Neujahrstag,
mit welchem das Jahr der Hegira 1216 anfängt, auf den 14 May.
Die ersten Jahre 1801 fangen die Monate an.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Jan. 16. | der 1ste | Muharram | Jul. 12. | der 1 | Dsilhiddjah |
| Feb. 14. | 1 — | Dsefer | Aug. 12. | — | — Dsilhidjah |
| May 16. | 1 — | Rebiulewel | Sept. 9 | — | Muharram Jahr |
| Apr. 14 — | 1 — | Rebiulachir | Oct. 9 | — | — Safer |
| May 14 — | 1 — | Dschemasilewel, Anfang d. 1216 J. | Nov. 7. | — | Rebiulewel |
| Jun 13 — | 1 | Dschemasilachir | Dec. 7. | — | Rebiulachir |

G. Sam. Friedrich Reuter

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK ROSTOCK

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0026
DFG

12



رَبَجٌ et رَبْجٌ nunus par-
uus ac leuis. R. vecors, fuit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0027
DFG

367 (Chr. 977)

Anderabe Alschasch
Bencat od Toncat
Bochara
Ferabe
} transoxana

Samarkand

Balch
Herat
Meru
} Chorasana

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0028
DFG

Num. 78. D mit einem Loch

I. لا اله الا الله Es ist kein Gott ausser Gott
محمد Muhammed
رسول الله علي و ist Gottes Gesandter, Ali
لي الله Gottes Stellvertreter.

II Oben in einer Einfassung يا كريم O Kerim!
ضرب خوي geprägt zu Choy

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0029
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870105515/phys_0030
DFG

Sar

I. Area

لا اله الا

الله وحده

لا شريك له

M. int. بسم الله ضرب هذا

الدرهم بسرقند سنة

اثنتين وثلثين وثلثمائة

M. ext. لله الامر

~~محمد رسول الله~~

II. area لله

محمد

رسول

المتقي لله

نصر بن احمد

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0032
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0033
DFG

OLAI GERHARDI TYCHSEN
SER. DVCI REGN. MECKLENBVRG.
A CONSILIIS AVLAE,
LL. OO. IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI P. P. O.
ET BIBLIOTHECAE PRAEFECTI,
REGIAE ACAD. SVIO-GOTHICAE LITTERAR.
HVM. HISTOR. ET ANTIQVITATVM,
NEC NON
REG. SOCIETAT. SCIENT. VPSALENSIS, ET SOCIET.
LITTERAR. VOLSCORVM VELITRIS
SODALIS

# *INTRODVCTIO*
# IN REM NVMARIAM
## MVHAMMEDANORVM

SVBIVNCTIS
SEX TABVLIS AERE EXPRESSIS.

ROSTOCHII MDCCXCIV.
EX OFFICINA LIBRARIA STILLERIANA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0035
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK ROSTOCK

*Quum manuductio ad vniuersam rem numariam Muhammedanorum, aut, si mauis, Diplomatica numaria arabica, cuius usus tam late patet, ob maximas, quibus obsita est, difficultates, a nemine adhuc tentata, nedum perfecta fuerit, periclitari volui, si possem in gratiam ciuium nostrorum sapere audentium, et numophilorum hanc lacunam pro virium modulo explere.*

*Ex quo in Academia Bützouiensi, cuius natalibus et funeralibus rarissimo exemplo interfui, anno 1763 ad explicandos aliquot numos cuficos in Pomerania effossos, quos cl. syndicus prouincialis Pistorius mecum communicauerat, et de quibus ne fando quidem antea audieram, (nam in Academiis ante, et sub idem tempus, merae tricae grammaticae, et variantium aucupia, si a studio de pane lucrando abscesseris, in deliciis erant,) animum applicare vi omni incitabar, omnibus autem subsidiis, puta: bibliotheca numaria, numophylaciis, chalcographis, et quod primo loco nominandum erat, opibus et mecaenatibus destitutus, proprio marte tirocinium ponere, et arti chalcographicae operam dare coactus eram, fieri vix aliter potuit, nisi quod prima mea conamina exigua essent, et ad irritum fere caderent.*

*Sed*

*Sed nullis perterritus impedimentis, et fortuna adiutus, vt ipse numos et subsidia precibus, nec non pecuniae profusione vndique conquirerem, e vadis sensim emersi, vsque adeo vt quibusdam erectioris indolis auditoribus Butzouii primus in hoc nobilissimo et iucundissimo studio viam fecerim, qua quoque ad illud aliis commendandum amplificandumque ex parte feliciter progressi sunt. Quoniam itaque ex multo iam tempore ad praesentem vsque diem, nec labori, nec sumtui parcens, huic scientiae nauaui operam, et ingentem omnis generis numorum copiam tam oculis lustraui, quam haud contemnendum eorum numerum, multaque rarissimorum numorum ectypa ipse conquisiui, illotis, vt aiunt, manibus hanc materiam haud sumsi pertractandam, quin operam potius dedi, vt in peruulgatis, quae ommino ab*

*Isagoge abesse neque possunt neque debent, in medium cum quadam, vt fieri solet, nouitatis simulatione prolatis haud acquiescerem, sed ad ardua quoque et difficilia ab aliis intacta relicta, ad quae non datur currere lata via, gradum strenue promouerem, hac tamen mihi imposita lege, vt a commentario scribendo, ne libri moles sine necessitate augeretur, prorsus abstinerem, sat habens, ad scriptores classicos data occasione digito monstrasse. Quam vellem autem, ita fortuna tulisset, vt is, cuius sumtibus libellus editur, sumtus etiam in tabulas aeneas a chalcographo adornandas fecisset, qui vero hanc conditionem ob probabilem emtorum, hoc nostro Vtopiae auras spirante lustro, paucitatem repudiauit. Quo factum, vt quod petiebam non consecutus, LVII numorum maximam partem*

*tem anecdotorum, qui ad primam institutionem facere videbantur, imaginem, ne negligentia aliquid omisisse viderer, sine omni arte, summa tamen fide, in variae magnitudinis et bonitatis, quas iam habui *), aut aegre heic corradere potui, tabulis aereis, nolens volens ipse adumbrare necessitate quadam adstringerer, omnino fretus artis chalcographicae peritorum, qui res ex aequo et bono aestimant, explorata indulgentia. Nam do, quoad possim et mihi liceat, aliis meliori fortuna gaudentibus praecipuas in iam propositis, aut olim proponendis arte factis elegantioribus exemplis partes lubens relicturus. Quodsi vero in ipsa laboris et molestiae plena pertractatione*



*) *Hoc ideo monere necessum duxi, ne quem offendat, quod in tab. IV. inscriptio in cultri lamina, cum numis nullam communitatem habens adpareat, quam aliis usibus destinatam olim delineaueram.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0041
DFG

*quid a me neglectum aut erratum fuerit, nec voluntati semper facultas responderit, quod in tanta rerum copia, varietate et difficultate, vel oculatissimis, et me longe doctioribus facile accidere potest, sperare omnino licet, immo plane confidere, haec mea qualiacunque conamina ab aequis harum rerum arbitris beneuole accipi atque diiudicari.*

*Scribebam Rostochii VII. Cal. Sept. MDCCXCIII.*

---

*CON-*

# CONSPECTVS.

Sectio I. Praecognita historica.

Cap. I. De monetae arabicae initiis historicorum arab. relationes, pag. 1.

— II. De moneta ab Abdolmaleco introducta, eiusque varia fortuna, vicissitudinibus et ponderibus, p. 5.

— III. Series 1) Chalifarum Ommiadarum et Abbasidarum, p. 19.

2) dynastarum Soffaridarum, Semanidarum, Buidarum et Ayubitarum, p. 25.

3) Vezirorum, quorum nomina in numis extant, p. 29.

4) Vrbes monetariae, p. 32.

5) Hegirae cum aera Christiana comparatio, p. 36.

6) De vtilitate numorum arabicorum, p. 37.

— IV. Bibliographia numaria, p. 40.

— V. Numophylacia, p. 47.

Sectio II. De numorum sub Chalifis orientalibus signatorum titulis.

Cap. I. De titulis numorum Chalifarum Ommiadarum, p. 55.

— II. III. — — — — — Abbasidarum, p. 62.

— — — — dynastarum Soffaridarum, Semanid. Buid. Hamdanit. Ayubit. p. 84; Mamlucorum, p. 85; Seldsjucidarum, Ortocidarum et Atabekorum, p. 86.

qui omnes, Chalifas Abbasidas legitimos Muhammedis successores reputarunt.

De numis imagines exhibentibus, p. 90--97.

Cap. IV. De titulis numorum Mogulensium, p. 97.

— V. De titulis numorum chalifarum occidentalium: Aglabitarum, p. 108; Fatemidarum, p. 114; Almorauidarum, p. 118; Almohawedinorum, p. 122; Zeiriorum, Hammeditarum, Marinorum et Edrisiorum, p. 125; Scheriforum, p. 126; Hafsitarum, p. 128; dynastarum Hispaniae, p. 130; Nasaritarum, p. 146.

— VI. De numis cuficis a Christianis conflatis, p. 142.

— VII. De vitris titulo arabico instructis, p. 149.

— VIII. Singularia in numis, p. 154.

Sectio III. De numis recentioribus Muhammedanorum:

Cap. I. De titulis numorum Marocci Scheriforum, eorum serie, et officinis monetariis, p. 165.

— II. De titulis numorum Turcicorum, Tatarorum Crimensium, Iemenensium, eorum serie, et officinis monetariis, p. 173.

— III. De titulis numorum Persicorum, principum serie, et officinis monetariis, p. 190.

— IV. De titulis numorum Mogulensium et regulorum Indiae, principum serie, et officinis monetariis, p. 199.

— V. De recentiorum numorum a Christianis cusorum titulis, p. 224.

— VI. Indices numorum explicatorum, auctorum allegatorum, et rerum notabiliorum, p. 229.

— VII. Addenda et corrigenda, p. 241.

---



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0044
DFG

# Sectio I.

## *Praecognita historica de numis cuficis ſ. antiquis Muhammedanorum.*

### Cap. I.

De monetae arabicae initiis variorum historicorum Arabicorum relationes.

§. 1.

In omnia alia abeunt Historici Arabici, quum de pecunia Arabum antiqua verba faciant, haud distinguentes, vtrum pecunia, qua vtebantur, e propria aut peregrina officina monetaria prodierat.

§. 2.

*Abubecr* filius Abu Schaiba, teste Macrizio, Adamum aureos et argenteos iam conflasse auctor est.

*Soiuthi* *) testem Haitamum citat, Chalifam Abdolmalecum numis suis nomen Dei inscribendi consilium ideo cepisse, quod reperti essent aurei et

*) Museum cuf. Borgian. Part. II. p. XV. Repertorium or. et exeg. T. IX. p. 234.

et argentei CD annis ante Islamismum signati, quibus inscriptum erat: *In nomine Dei Patris et Filii, et Spiritus Sancti.* Verum enim vero Auctor *vel* numos Alfonsi fil. Sanctii, vel Principis christiani Mogulorum vasalli, qui hac sententia gaudebant, comminiscitur. Nam CD annos ante Islamismum, s. seculo III. p. C. N. numi arabici a Christianis conflati nulli dabantur.

§. 3.

Vnus *Macrizius* seculi XV. scriptor veteres Arabum Chronographos curate perquisiuit, et quae tam ex iis, quam ex ipsis numis memoratu digna hauserat, peculiari libello diligenter exposuit. Quum nemo sit, qui nusquam incurrat, merita eius in rem numariam Arabum, hallucinationibus eius facile repensant. Itaque e re mea et lectorum fore existimaui, si praecipua momenta ex eius libello manuscripto, quae ad rem monetariam Arabum ante Abdolmalecum facere videntur, huc transscribam.

§. 4.

In Paganismo Arabibus in vsu erant Denarii Caesarienses, et drachmae Babylonienses et Tiberienses, nec non Gjawarekinae et Bagliae (جوارقية وبغلية).

وبغلية), quas ad pondus constitutum exigebant. Hoc autem pondus eorum erat:

رطل *Rotl* (Λιτρα, libra) XII vnciis s. 480 Drachmis constabat. اوقية *Vkia* (Vncia) XL Drachmas, النس *Al-Nasch*, dimidium vnciae, s. XX drachmas, النواة *Al-Nuah*, V drachmas, مثقال *Methkal*, XXII Keratia minus grano, complectebantur.

Pondus Metkal et Drachmae aequale erat, ideo Metkal-Drachma, et Metkal-Dinar appellatum.

§. 5.

*Omar* octauo Chalifatus sui anno, qui erat annus Hegirae XVIII. drachmas ad Persicarum exemplum (علي نقش كسروية) cudi fecit, eis inscribens: I. لا اله الا الله وحده عمر *Non est Deus, nisi Deus vnicus. Omar.* II. الحمد لله محمد رسول الله *laus Deo. Muhammed est legatus Dei.* Pondus X drachmarum, VI Metkal constituit.

§. 6.

*Osman* f. Afan eius successor drachmas cum titulo الله اكبر *Deus maximus est*, signauit.

§. 7.

*Moawiah* f. Soffian drachmas cum sua ipsius

gladio cincta imagine cudit, quarum *decem*, VII Metkal pendebant.

§. 8.

*Abdallah* f. Zobeir drachmas titulis in orbem ductis inscriptas: I. محمد رسول الله *Muhammed legatus Dei.* II. امر الله بالوفاء والعدل *praecepit Deus complementum* (ponderis) *et iustitiam* (internam monetae bonitatem,) cudendas curauit. Frater eius *Massab* f. Zobeir drachmas quoque in *Iraka* conflauit, quarum *decem*, VII Metkal pondere aequabant.

§. 9.

Non sane de nihilo est, quod Macrizius tanta confidentia laudatos numos, eorumque pondus describat, vt qui statuere se posse existimet, eum omnia de ingenio suo finxisse, propterea quod numorum laudatorum exempla nondum publicata fuerint, acerbe seuerus in eum esse mihi videatur, praesertim, quum non modo multi adhuc numi neque delineati in scriniis delitescant, neque omnes titulorum, quibus praediti sunt, differentiae, ad eruditorum notitiam peruenerint, sed etiam cel. scriptor *Hadschi Chalifa* numorum sub *Moawiah* cusorum disertis verbis meminerit.

Sed

Sed missis his numis controuersis et dubiis, aut si mauis, commentis, ad nouam monetae arabicae epocham me conuerto.

## Cap. II.

### De moneta ab Abdolmaleco introducta, eiusque varia fortuna et viciſſitudinibus.

§. 1.

Arabes ante Chalifam *Abdolmalec* fil. Merwan, ad quem anno Hegirae LXV. Chr. 685. imperium transierat, propriam et *communem* monetam non habuisse, tam scriptorum Arabicorum, si Macrizium excipias, quam Christianorum perhibent, ipsis numis, qui adhuc descripti fuerunt, suffulta testimonia. Quod vt rectius intelligatur, res est paullo altius repetenda.

§. 2.

Ex quo Arabes totam Persiam, et magnas Graecorum regiones in suam ditionem redegerant, numos Graecorum aureos, Byzantinos dictos, et argenteos Persicos *), quorum magna procul dubio copia ipsis quotidie capta, iisque tributum per-

 solu-

*) Elmacin hist. Saracenica. Lugd. B. 1625. fol. pag. 64.

solutum fuit, in commercio adhibebant, valorem eorum ac pondus ad stateram examinantes.

§. 3.

Quum autem Abdolmalec in suis ad Imperatorem Graecorum missis epistolis, nomen Muhammedis et aeram Hegirae exprimens, in Imperatoris offensionem cecidisset, minis Imperatoris ita laesum se putauit, vt denariis graecis ex consilio suorum abolitis, propriam officinam monetariam sub ductu mancipii sui, Iudaei *Somair* (سمير) conderet. Numis autem suis insculpi curauit

I. Area: الله احد *Deus vnus.*

Margo: Sura IX, 33.

II. Area: لا اله الا الله *non est Deus, nisi Deus.*

Margo: ضرب هذا الدرهم بمدينة كذا *cuditur hic argenteus in ciuitate N.*

Tunc scripsit ad Hedsjasjum in Iraka residentem, vt similiter numos cudi faceret, quod et fecit. (وكتب الى الحجاج وهو بالعراق ان اضربها بتلك فضربها) diciturque numis suis inscripsisse: قل هو الله احد الحجاج *dic: illum esse Deum vnum. Alhedsjasj.* Idem asserit *Elmacin* l. c.

§. 4.

§. 4.

Prima officina monetaria *Damasci*, quae regia Chalifarum sedes tunc temporis erat, instituta fuit, vt Macrizius auctor est, et numi, qui ex ea, ante conditam a. LXXXV. ab *Hedsjadsjo* Iracae prorege vrbem *Waset*, procusi sunt, abunde testantur *). Hanc officinam excepit altera *Waseti* a. 85. Chr. 704. erecta, quae initio argenteis et aereis conflandis vnice dicata fuisse videtur. Hoc saltem ex aereo Naniano n. CXI. anno 104. *Waseti* denarii typo signato intelligitur, denarios, qui adhuc innotuerunt, multum a Wasetino modulo et commate recedere, ideoque e Damascena officina prodiisse.

Quamdiu autem Ommiadum imperium durauit, nullae aliae officinae monetariae, ac modo laudatae Damascena et Wasetina conditae fuisse videntur. Nam omnes Ommiadum numi, de quibus quidem adhuc constat, vel Damasci vel Waseti nomine diuulgati sunt. Quo vero Ommiadum imperio deleto, in aliis Iracae locis, primum Basrae, deinde Cufae *rel.* numi quoque prodierunt.



*) Quae de initiis monetae arabicae vberius exposui, Tomo V. nouorum Actor. R. S. Vpsalensis p. 322. inserta extant.

§. 5.

Quemadmodum autem Abdolmalec modulum et formam externam aureorum Byzantinorum, et argenteorum Persicorum tenere consultum duxit, quae tamen multos post annos non modo ad drachmae magnitudinem et tenuitatem excrescebat, sed varias etiam magnitudinis et paruitatis formas induebat; ita quoque peregrina numis suis nomina posuit, aureum دينار *Dinâr* denarium; argenteum درهم *Dirhem* drachmam; aereum فلس *Fuls* follem appellans. Qui quidem *Folles* initio, magnitudine denarios haud superabant, quorum, itemque Drachmarum interdum typum ad eos (Fulsos) cudendos de industria, vt infra ostendam, adhibebant *). Silendum quidem non est, numos interdum a suis auctoribus, et opificibus, v. c. Someirios, Hobeirios, Haschemios, Alsindios, Ahmedinos, Alradinos, Moezzinos, Alnaserinos, Daherinos, Bundukios, Nauruzios, Almuajadicos in commercio denominatos fuisse; vetustis tamen nominibus possessione haud deturbatis, quippe quae sola numis inscribi solita sunt.

§. 6.

*) Museum cuf. Borgian. Tom. I. n. IX. Mus. cuf. Nanian. n. XIII. LX. LXII. CXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0052
DFG

§. 6.

Abdolmalec ex praescripto Prophetae in Sunna de erogandis eleemosynis, X drachmis pondus VII Metkal assignauit, propterea quod particulis auri et argenti aequalis magnitudinis inter se ponderatis, auri particula $\frac{3}{7}$ grauior argenti particula est فاخذت حبة فضة وحبة ذهب ووزنا فرجحت حبة الذهب علي حبة الفضة ثلث اسباع فجعل من اجل ذلك كل عشرة دراهم زنة سبعة مثاقيل (X Metkal ponderant XIV$\frac{1}{7}$ Drachmas. Hinc ii errant, qui Elmacini relationem l. cit. de auri et argenti proportione et valore intelligunt.

§. 7.

Mortuo Abdolmaleco successores eius *Walid*, *Suliman* et *Omar* monetam non adulterarunt. *Omarem* quidem compellabant ad antiquandos numos, ne Dei nomen et sententiae Alcorani iis insculptae impuris Christianorum, Iudaeorum et impiorum manibus tractarentur; sed veritus, ne infideles ex hac titulorum abolitione argumentum abrogati diuini cultus, et nominis prophetae sumerent, hanc eorum sententiam non probauit.

Sub *Hescham* a. 106. Chr. 724. *Chaled* fil.

Abdallah Alkasari *Waseti* cudit aucti ponderis drachmas, quas eius successor *Iussuf* f. Omar Altakfi minuens ad pondus VII vsque ad annum 126. restituit. *Abdallah b. Muh. Alsofah* in Ambara drachmas grano vno, et postea duobus granis leuiores excudit; cuius successor *Almansur* non modo proprias, sed et antiquas (circumcidendo) tribus granis s. $\frac{3}{4}$ Kirati (nam Kirat IV grana habebat) imminuit.

§. 8.

Deuoluto ad Aaron Raschid imperio, *Giafar* fil. Iahia, qui monetae curam habebat, drachmis مدينة السلام *metropolis salutis* s. Islamismi, et محمدية *Muhammediah*, nec non nomen suum, iussu Chalifae inscribi, easque $\frac{3}{4}$ Kirati minui curauit. Sed Giafare sublato a. 187, *Alsindi* ex Chalifae Raschid mandato, iusti ponderis denarios et drachmas ex puriſſimo auro et argento cudit.

Sub *Alamin* monetae praefectus Abbas f. Alfadl f. Rabii in numis superne ربي الله *Dominus meus Deus*, et inferne: العباس بن الفضل *Alabbas f. Alfadl* *) posuit.

Idem

*) In ~~Alamini~~ Almamuni numo Samarcandae a. 188. Chr. 803. edito, superne legitur: لله وبه Deo (competit imperium)

Idem' *Alamin* denariis et drachmis in filii sui *Musa* regni haeredis facti, honorem inscripsit: كل عز ومفخر لموسي المظفر *omnis potentia et gloria Musae victorioso* competit *).

Quanquam post caedem Alamini, et Almamunum Chalifam salutatum, ne vllus quidem reperiebatur, qui drachmarum typos sculpere poterat, (caelo enim insculpuntur, vt sigilla solent insculpi, (فلم يجد احدا ينقش الدراهم فنقشت بالمحراط كما ينقش الخواتيم tamen imperantibus Almamum, Motasem, Watsek **) et Mutawakkel pecuniae penuria non erat. Interfecto Motawakkel, et Mulaeis Turcis (موالي من الاتراك dominatum occupatis, drachmae imminutae sunt.

§. 9.

rium) et per eum etc. infra aream الفضل Alfadl. Vtrum Almacrizi hallucinatio, aut librarii, vt videtur, correctio sit dicenda, dictu difficile est.

*) Exemplar huius numi nondum videre mihi contigit. Raritatis eius caussa ea esse videtur, quod Almamun hos sibi damnosos numos omni studio aboleuerit.

**) Watsekum numos conflasse, Elmacinus p. 65. testatur. Mutawakkeli numum Adlerus n. XXIII. oculis subiecit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0055
DFG

§. 9.

In Egypto Ommiadum et Abbasidarum pecunia in vsu erat, donec Emir Abulabbas Ahmed f. Tulun a. 283. Chr. 867. rerum in Aegypto potiretur, qui probae notae denarios cudi fecit, Ahmedicos appellatos.

Sub Almoez ledinillah, *Giauhar* Alkaid Siculus, denarios Moezzinos tribus in qualibet area orbitis procudit, quibus inscripsit:

A.) I. Orbita alia:

دعاءِ الامام معز لتوحيد الاحد الصمد

*Inuitatio Imami Moez ad vnitatem vnius, aeterni.*

II. Orbita alia:

المعز لدين الله امير المومنين *Almoez ledinillah princeps fidelium.*

III. Orbita alia:

ضرب هذا الدينار بمصر سنة ثمان وخمسين وثلثماية cusus est hic denarius Myssrae anno 358. Chr. 968.

B.) Tribus orbitis haec erant comprehensa:

لا اله الا الله محمد رسول الله
ارسله بالهدي ودين الحق ليظهره
علي

علي الدين كله ولو كره المشركون)
(* علي افضل الوصيين وزير خير
المرسلين.

*Non est Deus nisi Deus. Muhammed est legatus Dei, quem cum regula et vera religione misit, vt eam supra omnem religionem extolleret, si vel associantes renuerent. Ali praestantissimus mandatariorum et strenuissimus optimi delegatorum est.* Postquam *Moez* denarios suos introduxerat, et vsum denariorum *Alradhi billah* vetuerat, pretium eorum plus quarta parte imminuebatur. Denarius Moezzinus $15\frac{1}{2}$ Drachmas valebat.

§. 10.

Sub imperio *Hakem beamrillah*, pro denario XXXIV drachmae soluebantur. Sed a. 399. Chr. 1008. viginti cistas nouis drachmis repletas ex arce cum mandato misit, vt priores drachmas in officinam monetariam inferrent, et pro quatuor earum

*) In MSto Fatha super Lam dictionis علي picta est, ad indicandum, eam tam praepositionem, quam nomen Ali denotare, et tam de Ali, quam de Almoez intelligi posse. Quicquid sit, Adleri lectio et explicatio ingeniosa p. 145. e Macriziana emendanda erit.

earum vnam nouam reciperent. Quo facto, denarii pretium XVIII drachmarum constituit.

§. 11.

*Iusuf f. Taschefin* in Hispania et Mauritania numos cudit hac gaudentes epigraphe:

I. لا اله الا الله محمد رسول الله امير المسلمين يوسف بن تاشفين *Non est Deus, nisi Deus, Muhammed est legatus Dei. Princeps fidelium Iussuf f. Taschefin.*

*Margo:* ومن يتبع غير الاسلام دينا فلن يقبل منه وهو في الاخرة من الخاسرين *qui vero aliam praeter Islamismi sequitur religionem, a Deo non acceptabitur, in nouissimis periturus.*

II. الامير عبد الله امير المومنين العباسي *Princeps Abdallah, Imperator fidelium, Abbasida.* (v. Adleri n. 87.)

*Margo* annum et locum exhibet.

§. 12.

Deleto Fatemidarum imperio, Sultan *Salahoddin f. Ayub*, a. 567. Chr. 1171. numos nominibus Chalifae *Mostadi beamrillah*, et Sultani *Malek Aladel Nureddin Mahmud f. Zenki* dynastae

nastae Syriae signauit. Mortuo *Nureddino* a. 583. Chr. 1187. monetae Egyptiacae et drachmarum Irakensium vsum vetans, denarios ex auro Egyptiaco, et drachmas Naserinas ex argenti puri et aeris aequali quantitate (نصفتين بالسواء *proprie*: duobus dimidiis aequalibus,) conflauit. Quae quidem monetae adulteratio permansit ad imperium *Almalec Alcamel Naseroddin Muh. f. Aladel Abi Beker Muh. f. Ayub*, [quo abolitae drachmae Naserinae, et a. 622. Chr. 1225. drachmae titulis in orbem ductis, e $\frac{2}{3}$ argenti et $\frac{1}{3}$ aeris cusae sunt, quae quoque proportio sub Ayubitarum et Mamalucorum, qui Ayubitarum simiae erant, dynastiis seruata est, vt numi Almalek Almansur Kalaun, quibus post verba: بسملة الملكي الصلحي *in nomine Dei Almalec Alsaleh*, قلاوون *Kalaun* inscriptum est, confirmant. Nam *Almalec Aldaher Rocneddin Bibars* ad centum drachmas conflandas LXX argenti puri, et XXX aeris, figura leonis (صورة سبع) eas exornans, adhibuit.

§. 13.

Sub praefectura *Almalec Aldaher Barkuk*, antequam Sultanatum receperat, drachmae Mahmuiae

muiae (المحمودية) adulteratae, a. 781. Chr. 1379. introductae fuerunt. Sed Sultanus factus, eius Vezirius *Mahmud f. Ali* drachmarum vsum vetuit, Fulsis cudendis per plures annos insudans. Hinc Franci aes suum cum drachmis vetitis permutantes argenti in Aegypto raritatem caussarunt. Sed Sultan *Almalec Almuaied Abulnasser Scheigh* anno 818. Chr. 1415. cudi fecit Drachmas (المؤيدية) Almuaiadias ex argento puro omnium praestantissimas.

Hactenus *Macrizius*, cuius de ponderis et metalli vicissitudinibus relationes ipsis numorum exemplis egregie comprobantur, insuperque in aprico ponunt, quam ieiunae et mancae sint Elmacini, Kothaibae, Soiuthi et aliorum de moneta arabica commemorationes, et quam male rebus suis consuluerint, qui spreto Almakrizio de numis arabicis verba fecerunt. Scilicet numi Naniani a cl. Assemani T. II. p. LXXIII etc. ad stateram examinati pendebant:

1) aurei Zecchino Veneto grauiores erant:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Anni XCI. | — | — | 13 granis. |
| — CIV. | — | — | $13\frac{1}{2}$ — |
| — CL. | — | — | 12 — |

Anni

Anni CLXVI. — — 14½ granis.
— CCCLXV Moezzinus — 10 —
2) argentei haud circumcisi pendebant
Anni CXXV. — — 38 —
— CLXI. — — 48 —
— CLXXVI. — — 42 —
— CCCLV. Ommiad. Hispan. 48 —
— DCCX. Mogulis Chodabendeh Muh. — 68 —
Abusaid — 56 —

Cl. *Adlerus* Berolinensis numos suos ad marcam coloniensem, quae 65, 536 partes, quas *Richtpfennig* dicunt, continet, meis precibus exegit.

1) aureus anni 106. habet — 1176 partes.
2) argentei
Cufae 136. — — 770 —
— 140. — — 780 —
Bagdad 155. — — 816 —
— 192. circumcisus 714 —
Samarc. 194 — — 776 —
Muhamm. 201 — — 736 —
Basrae 204 — — 770 —
Schaschae 283 — — 848 —
Toncat 292 — — 818 —

| | | | |
|---|---|---|---|
| Cufae 293 | — | — | 812 partes. |
| Enderabae 299 | — | — | 832 — |
| Samarc. 299 | — | — | 848 — |
| — — 302 | — | — | 822 — |
| — — 311 | circumcisus | | 720 — |
| Schaschae 320 | — | — | 790 — |
| Samarc. 320 | — | — | 1104 — |
| — — 326 | — | — | 1282 — |
| — — 327 | — | — | 1152 — |
| — — 335 | circumcisus | | 992 — |
| Wasit 329 | — | — | 1280 — |

Ex hac ponderis inter se comparatione, pretium et pondus monetarum publica auctoritate constitutum saepius, et praecipue circa annum 320 variasse facile colligitur.

§. 14.

Vt autem numorum tam antiquorum quam recentiorum lectio eo facilius procedat, ante omnia *annus*, quo quisque cusus sit, expiscari debet; quo enim cognito nomina Chalifarum, vezirorum, vasallorumque, ex eorum historia sine negotio peti poterunt. Quibus rite detectis titulorum ratio habenda erit, quorum vnum si cognoris, omnes paucis exceptis noueris. Atque haec quidem omnia,

nia, aliaque scitu necessaria ordine persequi nostri nunc est instituti.

## Cap. III.

### Series Chalifarum Ommiadum et Abbasidarum.

cf. Assemani codd. mss. Nariani Parte I. p. 129 p.

§. 1.

*Quatuor priores Chalifae.*

| | | | Imperii auspicia. |
|---|---|---|---|
| 1. Abubecr | ابوبكر | Heg. | 11 Chr. 632. |
| 2. Omar | عمر | - | 13 — 634. |
| 3. Osman | عثمان | - | 23 — 644. |
| 4. Ali | علي | - | 35 — 655. |

*Chalifa e Muhammedis familia.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Hassan f. Ali | حسن | - | 40 — 660. |

*Chalifae e stirpe Ommiah* (بني امية).

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1. Muawiah I. | معوية | - | 41 — 661. |
| 2. Iezid f. Muawiah | يزيد | - | 60 — 680. |
| 3. Muawiah II. f. Iezid | | - | 64 — 684. |
| 4. Abdallah f. Zobeir | عبد الله بن الزبير | - | 64 — — |
| 5. Merwan I. fil. Hakem | مروان بن الحكم (Assem. الحاجب) | - | 64 — 684. |
| 6. Abdolmelec f. Merwan | عبد الملك | - | 65 — 684. |
| 7. Walid I. f. Abdolmelec | وليد | | 86 — 705. |

8. Suliman f. Abdolmelec سليمان 96 Chr. 715.
9. Omar f. Abdolaziz عمر بن عبد العزيز - - 99 — 718.
10. Iezid II. f. Abdolmelec يزيد 101 — 720.
11. Hescham f. Abdolmelec هشام 105 — 724.
12. Walid II. f. Iezid وليد 125 — 743.
13. Iezid III. f. Walid يزيد 126 — 744.
14. Ibrahim f. Walid ابراهيم - 126 — —
15. Merwan II. f. Muhammed مروان - - - 127 — —

*Chalifae e stirpe Abbas* (بني العباس).

1. Abul Abbas Alsaffah عبد الله ابو العباس الصفاح - 132 — 749.
2. Al-Manzur المنصور - 136 — 754.
3. Al-Mohdi f. Mansur المهدي 158 — 774.
4. Al-Hadi f. Mohdi الهادي 169 — 785.
5. Harun Raschid الرشيد هرون 170 — 786.
6. Al-Amin f. Raschid الامين 193 — 809.
7. Al-Mamun f. Raschid المامون ابو العباس - - 198 — 813.

Ibrahim f. Mohdi ابراهيم
202 Chr. 817. depositus
203 Chr. 818.

8. Almotasem billah f. Raschid ابو اسحق المعتصم بالله - 218 Chr. 833.
9. Alwatsek billah f. Almotasem الواثق بالله 227 — 842.
10. Almotawakkel Alallah f. Almotasem المتوكل على الله - - - 232 — 847.
11. Almostanser billah f. Motawakkel المستنصر بالله - - - 247 — 861.
12. Almostain billah المستعين بالله - - 248 — 862.
13. Almotaz billah f. Wathek المعتز بالله 252 — 866.
14. Almohtadi billah f. Wathek المهتدي بالله - - - 255 — 869.
15. Almotamed alallah f. Motawakkel المعتمد على الله - - - 256 — 870.
Muaffik billah الموفيق بالله
258-278. Chr. 871-891.
16. Almotadhed billah nepos Motawakkel المعتضد بالله - - 279 — 892.
17. Almoctafi billah f. Almotadhed المكتفي بالله - - 289 — 902.
18. Almoktader billah f. Almotadhed المقتدر بالله - 295 — 908.
19. Alkaher billah f. Almoktader القاهر بالله 320 — 932.
20. Alradi billah f. Almoktader الراضي بالله 322 — 934.

21. Almottafi billah المتقي بالله 329 Chr. 941.
22. Almostacfi billah المستكفي بالله - 333 — 944.
23. Almoti lillah المطيع لله 334 — 945.
24. Al-Tai lillah الطايع لله - 363 — 974.
25. Alkader billah القادر بالله 381 — 991.
26. Alkaiem beamrillah القايم بامر الله - - - 422 — 1031.
27. Almoktadi billah المقتدي بالله - - - 467 — 1075.
28. Almostadher billah المستظهر بالله - - - 487 — 1092.
29. Almostarsched billah المسترشد بالله - - - 512 — 1118.
30. Alrasched billah الراشد بالله - - - 529 — 1135.
31. Almoktafi beamrillah المقتفي بامر الله - - 530 — 1136.
32. Almostansched billah المستنجد بالله يوسف 555 — 1160.
33. Almostadi beamrillah المستضي بامر الله - - 566 — 1170.
34. Alnaser ledinillah الناصر لدين الله - - 575 — 1180.

35.

35. Aldaher lillah الظاهر لله 622 Chr. 1225.

36. Almostanser billah المستنصر
بالله - - - 623 — 1226.

37. Almostasem billah المستعصم
بالله - - - 640 — 1242.

Vltimus chalifarum Abbasidarum Bagdadi residentium fuit, a. 656 Chr. 1258. ab Hulaco Mogulorum duce post expugnatum Bagdadum interfectus.

Chalifae Abbasidae a Sultanis Aegypti post Almostasemum interfectum creati:

1. Almostanser billah
المستنصر بالله - 659 Chr. 1260.

2. Al-hakem beamrillah
الحاكم بامر الله - 660 — 1261.

3. Almostacfi billah
المستكفي بالله - 701 — 1301.

4. Alwatsek billah
الواثق بالله - 740 — 1339.

5. Alhakem beamrillah
الحاكم بامر الله - 741 — 1340.

6. Almotadhed billah
المعتضد بالله - 754 — 1353.

7. Almotawakkel alallah المتوكل
على الله chalifatu exutus 763 Chr. 1361.

8. Alwatsek billah الواثق بالله 785 Chr. 1383.
9. Almotasem billah
المعتصم بالله - 788 — 1386.
10. Almotawakkel alallah chalifa-
tui iterum admotus - 791 — 1389.
11. Almostain billah
المستعين بالله - 808 — 1405.
12. Almotadhed billah
المعتضد بالله - - 816 — 1413.
13. Almostacfi billah
المستكفي بالله - 845 — 1441.
14. Alkaiem beamrillah
القايم بامر الله - 855 — 1451.
15. Almostansched billah
المستنجد بالله - 859 — 1454.
16. Almotawakkel alallah
المتوكل علي الله - 884 — 1479.
17. Almostamsek billah
المستمسك بالله - 903 — 1497.
18. Almotawakkel alallah
المتوكل علي الله - 927 — 1520.

Vltimus Chalifarum Abbasidarum fuit, a Selimo Turcarum imperatore a. 922 Chr. 1516. captus et a. 945 Chr. 1538. e viuis excessus.

§. 2.

Seriem Fatemidarum in Egypto chalifarum quaere in. Sta. p. 114 p.

§. 2.

Sub chalifatu *Moctafi billah*, Chalifae et prioris auctoritatis et potentiae et gloriae naufragium fecerunt, vt nomine magis quam potestate Chalifae essent, nihilque reliqui ipsis fuerit, quam Chalifae titulus, nominis in numis expressio, et solennis precatio. Ii namque, quos prouinciae aut exercitus praefectos fecerant, imperitandi cupidi, summam potestatem sensim vindicarunt. Hinc vastissimum olim Chalifarum imperium in multas dynastias diuisum fuit, quarum auctores *vel* nomina Chalifarum in numis, quos cudebant, nominibus suis praeponebant, *vel* ipsi Chalifarum titulum sibi adscribebant. Ex hoc fonte mirifica cuficorum omnis generis numorum multitudo fluxit.

Dynastae vero, qui Chalifas Abbassidas agnoscentes eorum nomina numis suis insculpebant, hi fere sunt:

I. Soffaridae, quorum dynastia in Chorasana et Segestana ab a. 260-290 Chr. 873-902. durauit.

1. Iacub f. Lait

يعقوب بن الليث · 260 Chr. 873.

2. Amru f. Lait
عمرو بن الليث - 265 Chr. 878.
3. Dhaher f. Muh. f. Amru ظاهر 289 — 901.

II. Semanidae in Transoxana rel. ab a. 279-389. Chr. 892-998.

1. Ismail f. Ahmed ولي الدولة
اسماعيل بن احمد - 279 Chr. 892.
2. Ahmed f. Ismael احمد - 295 — 907.
3. Nassr f. Ahmed نصر - 301 — 913.
4. Nuh I f. Nassr نوح - 331 — 942.
5. Abdolmelec f. Nuh
عبد الملك - - 343 — 954.
6. Mansur f. Nuh منصور 350 — 961.
7. Nuh II f. Mansur - - 366 — 976.
8. Mansur II f. Nuh - - 387 — 997.
9. Abdolmalek f. Nuh - 389 — 998.

III. Buidae in Persia &c. ab a. 321-448. Chr. 932-1056.

1. Amadeddaulet Abul-Hassan Ali f. Buiah
عماد الدولة علي بن بويه 321 Chr. 932.
2. Rocneddaula Hassan f. Buiah
ركن الدولة حسن - 322 — 933.

Abu Hossein Ahmed — Ali Buiah ei. frater

3. Moezeddaula Ahmed f. ~~Rocn.~~ — regnavit

معز الدولة احمد - 334 Chr. 945. 21 annos

4. Adadeddaula f. ~~Moez.~~ Rocnedd. — primus titulo شاهنشاه mactatus fuit. Elmacin p. 237.

عضد الدولة ابو شجاع فناخسرو ابن ركن الدولة - 338 — 949. 34 —

5. Azzeddaula f. Moez.

عز الدولة - 345 — 956. 11 —

6. Muaiadeddaula fil. Rocnedd. مويد الدولة 366 — 976. 7 —

7. Fechreddaula fil. Rocnedd. فخر الدولة 373 — 984. 14 —

8. Madschdeddaula f. Fechredd.

مجد الدولة - 387 — 997. 33 —

9. Scherfeddaula f. Adhedd. شرف الدولة 375 — 985. 4½ —

10. Samsameddaula f. Adheddaula

صمصم الدولة - 366 — 976. 9 —

11. Behaeddaula f. Adhedd. بها الدولة - 379 — 989. 24 —

12. Sultaneddaula f. Behaedd.

سلطان الدولة - 403 — 1012. 12 —

13. Moschrefeddaula frater Sultanedd.

مشرف الدولة - 414 — 1024. 6 —

14. Gelaleddaula f. Moschrefedd. جلال الدولة 416 — 1025. 25 —

15. Amadeddinillah Azzal Muluk f. Behaedd.

عماد الدين الله عز الملوك - 435 — 1043. 24 —

16. Almalek Alrahim f. Azzalmeluch

الملك الرحيم بن عماد 440 — 1048. 7 —

17.

17. Malec Abu Mansur f. Rahim (regnauit 8 annos)
الملک ابو منصور - 435 Chr. 1043.

Reliquas Dynastias Dilemitarum, Hamdanidarum, Achschiditarum heic in catalogum referre superuacaneum duco, partim quod earum vel nulli vel pauci adsint numi, partim quod dynastarum series et manca et turbata sit, e solis numis detegendis restituenda.

## IV. Dynastae Ayubitici in Aegypto.

1. Salahoddin f. Ayub الملک
الناصر صالح الدنیا
والدین جلیل بن ایوب 565 Chr. 1169.
2. Alaziz Osman f. Salahod.
الملک العزیز عثمان 589 — 1193.
3. Almansur Muh. f. Osm.
الملک المنصور ناصر
الدین محمد - 595 — 1199.
4. Saifoddin Abúbecr الملک
العادل سیف الدین
ابوبکر محمد بن ایوب 596 — 1200.
5. Alcamel Nasiroddin f. Abub.
الملک الکامل ناصر
الدین ابو الفتح - 615 — 1218.

6.

6. Aladel Abubecr f. Alcamel.
الملك العادل سيف
الدين ابو بكر - 635 Chr. 1237.

7. Alsaleh Nadsjmeddin الملك
الصالح نجم الدين
ايوب - - - 637 — 1239.

8. Almoattam Turanschah
الملك المعظم غياث
الدين - - - 647 — 1249.

Seriem Aiubitarum Aleppi, Damasci *rel.* nec non Mamalucorum tam turcarum, quam circassiorum, ne extra fines a bibliopola mihi constitutos egrediar, silentio praetereo, et lectores ad Deguignii tabulas ablego.

§. 3.

Praeter Chalifarum, imperii haeredum s. successorum, Vasallorumque nomina; Vezirorum quoque, Proregum, monetae praefectorum, rel. in numis interdum occurrunt nomina, quorum notitia ad diiudicandos numos antiquiores, annum et Chalifae nomen oblitteratum, aut lectu difficillimum et ambiguum seruantes, aliquid afferre potest.

Pri-

Primus autem, quod sciam, qui numo nomen suum inscribendi praerogatiuam habuit, est

1) روخ *Rokh* aut نوح *Nuh*, in numo Mansuris a. 155 Chr. 771.

2) يحيى *Iahia* f. Abdallae, in numo Almohdi a. 168 Chr. 784. Praefectus Aegypto fuit a. 163 Chr. 779. (*Elmacin* p. 106.)

3) يحيى *Iahia Barmacida*, et duo eius filii: جعفر *Giafar* et الفضل *Al-Fadl:* nec non فضل *Fadl f. Rabii*, Vezirii Aaronis Raschidi, itemque هرثمة *Hartsemah f. Aian*, quem Aegypti, deinde Chorasanae praefectum constituit. (*Elmacin* p. 114. 119. coll. p. 132.) In numis sub eius imperio conflatis occurrunt quoque nomina علي, *Ali*, et نصر *Nassr.*

4) فضل *Fadl f. Rabii*, vezirius Alamini.

5) فضل *Fadl f. Sahal*, vezirius Almamunis, pro quo etiam in numo *Muhammediae* 201 Chr. 816. occurrit honoris titulus: ذو الرياستين *praeditus duobus principatibus*, s. rebus ciuilibus et bellicis praefectus. (*Elmacin* p. 131. *Abulfeda* T. II. p. 101.)

In

In numo *Basrae* 204 Chr. 819. idem titulus in *Auersa*, et in Adversa يوسف *Iussuf* extat, qui pater Ahmedis fil. Iussuf, Vezirii Almamuni forte fuit.

6) هرثمة *Hartsema* in Fulso meo *Basrae* 170 Chr. 786. adest.

7) عبيد *Obeid* vnus e Veziriis Almamuni, in numo *Muhammediae* 195 Chr. 810.

8) مسرور *Mesrur* in numo 209 Chr. 824. (Conf. Elmacin. p. 117.)

9) سعيد بن شعيب *Saed f. Schoaib* in numo 277 Chr. 890.

10) ولي الدولة *vicarius imperii*, in numo *Cufae* 291 Chr. 903. Est Ismael b. Ahmed Zemanida. Nam in alio eiusdem anni numo, titulo integro venit. (*Aurivillius* tab. I. n. 3.)

11) منكال بن جعفر *Muncal f. Giafar* in numo *Samarcandae* a. 306 Chr. 918.

12) بن ابرهيم *filius Ibrahim* in numo *Herat* a. 206 Chr. 821. Occurrunt quidem in quibusdam numis alia quaedam nomina, v. c. علي Ali, ابرهيم *Ibrahim* rel. Sed quum aeram dubiam habeant, eos non moror.

§. 4

§. 4.

Vrbes monetariae in numis cuficis occurrentes ordine alphabetico.

ارمينية *Irminiah s. Armenia*
ارجان *Arradsjan* in Churistan.
ازاق *Azow* in Tartaria minori.
اشبيلية *Ischbiliah*, Hispalis in Hispania.
اصطخر *Istachr in Persia.*
اصبهان l. اصفهان *Isfahan* in Persia.
اغمات *Agmat* in Mauritania.
امد *Amida* in Mesopotamia.
امل *Amul in Transoxana*
انبار *Ambar* in Iraka Babyloniae.
اندرابة *Anderabe* in prouincia Gilan.
اهواز *Ahwaz* in Susiana.
الاكسندرية *Alexandria* in Egypto.
الاندلس *Andalusia* sc. metropolis i. e. Corduba.
الشاش *Alschasch* in Transoxana.
القاهرة *Alkahira* in Egypto.
المرية *Almeria* in Hispania.
بخارا *Bochara* in Transoxana.
بصرة *Bassra* in Iraka Babyloniae.
بغداد *Bagdad* — — —
بكة *Beccah*, Mecca in Arabia felici.
بلخ *Balch* in Chorasana.
بردعة *Bardaah in Arran. Abulf. p. 314.*

بلرم *Balerm*, Panormum in Sicilia.

بلنسية *Valentia* in Hispania.

بنكت *Bencat* in Transoxana.

ت.

تبريز *Tebriz* in Armenia. بهدنه حله Fulsus in argentatus

تفليس *Teflis* in Georgia. سنة ست وار (Adleri Berolin.)

تنكت *Toncat* in Transoxana.

ح.

حجي ترخان ita olim Astrachan vrbs dicta fuit. Cf. Schafreddin histoire de Timur Beg lib. III. c. 60. T. II. p. 379. Arabschah T. I. p. 396. l. 6.

حصن *Hesn*, arx Caifa in Mesopotamia.

حلب *Haleb*, Aleppo in Syria.

حران Charran in Mesopotamia.

د.

دمشق *Dimeschk*, Damascus in Syria.

رافقه Rafekah et

ر.

رقه *Rakkah* in Mesopotamia. زرنج Zarang metrop. Segestanae.

ري *Rai* Parthiae oppidum. الب lin. 5.

سواي metropolis Kiptschak. Arabschah T. I. p. 374.

س.

سجستان alias Zarang dictae Segestanae (in Segestana.

سجلمسه *Segelmessa* in Mauritania.

سلطانية *Sultania*, Adherbigianae oppidum. سلميه Salemjah in Syria.

سمرقند *Samarcand* in Transoxana.

سيس *Sis* in Armenia. سرّمنراي Sarramanraa abbreu. Samirra in Irak Bab.

سيواس *Siwas*, Sebastia in Asia minori.

شيراز *Schiraz*, in Persia. سامرّا Abulfida T. II. p. 168. lin. 9. 204. l. 7.

سرمن راي Sirmansai in numo a. 312. Abulphar. dynast. p. 254. 261. Ulugbeig p. 14. 46.

ص.

صقلية *Sikliah*, Siciliae sc. metropolis, Panormum.

ط.

جرجان Dschordschan ad mare Caspium

C

ط.

طليطلة *Tolitola*, Toletum in Hispania.

ع.

بعارس عباسية *Abbasiah*, iuxta Bagdad trans Tigrim sita. ~~عمورية Abulf. T. II. p. 170. lin. 6.~~

غرناطة *Granata* in Hispania.

ف.

فارس فاس *Fes* in Mauritania.

فرابر *Feraber* in Transoxana.

فسطاط *Fostat* in Egypto.

ق.

قرطبة *Corduba* in Hispania. قنسرين Kennesrin in Syria

قونية *Kuniah*, Iconium in Romania.

قيروان *Kairwan*, in Africa.

ك.

كاشان *Caschan*, in Iraka Persiae.

كرمان *Kerman* in Persia.

كوفة *Cufa* in Iraka Babyloniae.

ل.

لامطة *Lamta* in Mauritania.

م.

ماردين *Maredin* in Mesopotamia.

محمدية *Muhammediah*, Bagdadi pars ad Tigrim

مدينة المتوكلية vrbs Metuwakkeliana in numo a. 246. Chr. 860. exstat. Eum vrbem condidisse, Elmacinus ~~testatur~~ p. 151. testatur بالمخورة in Machuzah

Cf. Abulfeda T. II. p. 204. ad a. 246. et p. 699. n. 185.

grim sita. Variis vrbibus hoc nomen inditum fuit.

مدينة السلام *vrbs pacis*, Bagdadum.

مراكش *Marakosch*, Marocco in Mauritania.

مرسية *Murcia* in Hispania. مرو Merse (Merwaruds) in Chorasana

مصر *Myssr*, Alcairo in Egypto.

منصورية *Mansuriah* in Egypto.

موصل *Mausil*, Mosula in Mesopotamia.

مهدية *Mohadiah* in Mauritania.

ميافارقين *Miafarekin* in Mesopotamia. In numo Cotbeddin Ilgazi 579 Chr. 1183. scribitur: ميعفرقين. Mus. C. Borg. T. II. p. 97.

ن.

نصيبين *Nesibin* in Mesopotamia.

نيسابور *Nisabur* in Chorasana.

و. وَشْلة Waschlah in Aderbidgiana.

واسط *Waset*, in Iraka Babyl.

ه. هاشمية hand procul a Cufa sita

هراة *Herat*, in Chorasana.

*Obs.* Praeponi vrbium nominibus interdum solent dictiones: vel مدينة *metropolis*, vel حصن *castellum*, vel محروسة *arx*, vel سراي palatium, vel معسكر *castra*. معكر id.

هاروني vrbs a Watsiko condita. Abulfeda T. II. p. 182. L. 6.

§. 5.

§. 5.

Qui annos Hegirae cum christianis, aut christianos cum Hegirae annis contendere vult, has duas vias praecipue persequi potest.

I. Anni Hegirae per 354 dies, qui annum lunarem constituunt, multiplicando in dies resoluantur, et summa, quae emergit, per 365 dies, quibus annus solaris, s. Christianus absoluitur, diuidantur, remanentibus diebus in tabulas haud relatis. Factae summae anni christiani 622, Hegiram praecedentes addantur.

Exemplo sit annus Hegirae 1209, qui per 354 dies multiplicatus summam 427,986 facit, quae per 365 diuisa, annum 1172 producit. Cui si addantur anni 622 Hegiram praecedentes, propullulat annus Christianus 1794.

II. Secundum *regulam de tribus*, ad inueniendum Hegirae annum, sic agitur.

a) Subtrahantur 621 ab anno Christiano.

b) Fiat conclusio secundum regulam de Tribus, v. c. 131 anni chr. faciunt 135 turcicos, quot

quot residuum, v. c. anni 1794, hoc est 1173?

131 anni Chr. — 135 Turc. —

$$\begin{array}{r} 1173 \\ 135 \\ \hline 5865 \\ 3519\phantom{0} \\ 1173\phantom{00} \\ \hline 158355 \end{array}$$

, qui numerus per 131 diuisus, annum hegirae 1208 progignit. Quodsi dies in diuidendo remanserint, pro integro anno sunt sumendi, et tunc efficitur annus hegirae 1209, qui nostro 1794. respondet *).

§. 6.

De vtilitate numorum arabicorum.

Quod Eruditi de praestantia et vsu numorum graecorum romanorumque planum fecerunt, id de numis Muhammedanorum si non potiori, aequabili saltem iure affirmari potest. Ne temere aliquid dixisse videar, pauca haec in medium proferam argumenta.

1) In Historia, Chronologia et Geographia rerum gestarum, prouinciarum et ciuitatum olim flo-



*) Indicem annorum Hegirae et christianorum inter se comparatorum Io. Grauius de epochis illustribus Oxonii 1650. 4. a Deguignes historiae Hunnorum insertum, contexuit.

Ad inueniendum annum Christianum ita rationes subducendae sunt. 134 anni arab. faciunt 130 Christ. quot 1212 arab.[s] resp. 1797.

$$\begin{array}{r} 1130 \\ \hline 157560 \\ 134 \\ \hline \end{array} \quad \begin{array}{r} 1175 \\ 622 \\ \hline 1797 \end{array}$$

addantur anni

florentissimarum, testes sunt omni exceptione maiores. Veram imperii olim vastissimi Muhammedici imaginem, eius incrementum, imminutionem et subsecutam in infinitas dynastias dispertitionem, earumque ortum, periodos et vicissitudines exacte repraesentant. Sine numorum arabicorum cognitione Critica historica arabica nulla datur, quia chronographi arabici seriem principum, annum, quo quisque ad imperium euectus fuit, nomen et dignitatis titulum, nec non prouincias et regias saepius erronee indicant, res principum gestas, eorumque et regnorum nomina confundentes aut silentio praetereuntes.

2) Vere affirmare ausim, in nullo imperio numos tot bellis et miseriis ansam dedisse, ac in imperio Muhammedano. Ob nouos numos arabicos ab Abdolmaleco introductos, quibus Graecorum Imperatori tributum soluebat, saeuissimum inter arabes et christianos bellum conflatum est. Numi arabici Alfonsi VIII, et Georgianorum ad bellum ex bello serendum amplam materiam praebuerunt. Sententiae namque numis inscribebantur, quae ad inflammandum odium vtriusque partis apprime faciebant.

Ipsi

Ipsi quoque muhammedani, quando imperium chalifae aut domini aspernabantur, numos propriis nominibus insignitos conflabant, quod idem erat ac classicum canere. Victores contra pacem saepe hac sola conditione cum victis faciebant, vt pecuniam suis nominibus in sua ditione signarent.

3) Principes suo arbitrio monetam adulterantes, pretium eius vel augendo vel diminuendo, ineuitabile detrimentum subditis et commercio attulerunt, quae sane praua consilia, vt recte statuit Macrizius, maiora reipublicae mala, nimirum crebras rebelliones, principum et Vezirorum caedes, et id genus alia, ac ipsa continua bella excitarunt.

4) Vtrum dynastae Schiitae, an Sunnitae fuerint, aut Chalifam Muhammedis successorem agnouerint, aut reiecerint, numi indubie probant.

5) Quoniam numi cufici codices arabicos antiquitate superant, eorum in palaeographia et philologia vsus insignis est. Vt taceam, non modo antiquos, sed et recentiores numos, qui quoque ad antiquitatem aspirant, historiae artium orienta-

lium scriptori certissimum subsidium esse allaturos.

Quae delibasse sufficiat.

## Cap. IV.

### *Bibliographia numaria cufica.*

Ad bibliographiam numariam quod attinet, non mihi est in animo, catalogum omnium scriptorum contexere, qui vnum alterumque numum, aut plures, aere male expressos et explicatos ediderunt, quos qui noscere cupit, adeat *I. A. Fabricii* Bibliothecam antiquarium. ed. III. Hamb. 1760. 4. cap. XVI. p. 792. et ill. *de Murr* gesammlete Nachrichten von den Münzen der Araber, quae additae sunt *Cardonnii* Geschichte v. Africa. Nürnberg 1768. 8. pag. 48. sq. nec non *Buderio-Meuselianae* Bibliothecae Partis II. Sectionem I. p. 236. et Repertorii orient. Eichhorniani Tom. XVII. p. 209. Mei potius est instituti, eos tantummodo nominare, quorum scripta semper cum fructu consuli poterunt *).

1)

*) Caue existimes Hottingerum in diss. II. de numis orientalium, quae cippis hebraicis inserta fuit, praeter splendidum titulum aliquid afferre ad

1) *Ge. Iac. Kehrii* monarchiae Asiatico-Saracenicae status. Lipsiae 1724. 4. cum duobus tabulis aeneis, quae XVII numos cuficos argenteos in littore maris balthici prope Gedanum effossos sistunt, inter quos n. X. *Waseti* a. 127. et n. V. VI. XV. XVI. XVII. Alamini et Almamuni notatu dignissimi sunt. Cuiusque numi titulum *vel* integrum, *vel* mutilatum in tabula tam propria scriptura, quam interlineari Neschiana transscriptione, quoniam officina typis arabicis destituebatur, optimo consilio repraesentauit. Quamuis in formula ضرب امير explicanda longissime a scopo aberrauerit, et quasdam lectu difficiles numorum dictiones suo quidem animo finxerit, caetera tamen optime perfecit, adeo vt primus dicendus sit, qui ad numos cuficos illustrandos fenestram aperuerit. Nam *Adlero* excepto, vix vllus quidem eorum, qui post eum in hoc studio occupati fuerunt, nodosos numorum titulos, quorum explicatio curiosorum saliuam inprimis mouet, explicauit, et per consequens plus non vidit, quam ipse viderat.



ad rem numariam Muhammedanorum. Exigua sunt initia. Nam cuficos fere siluit, et sex turcicos numos sibi simillimos tantummodo explicauit.

Nomina autem propria, aeram et locum legere in numis bene conseruatis, vel ii sine negotio nunc possunt, qui linguae et palaeographiae limina adhuc obsessa tenent.

2) *Car. Abrah. Clewberg* de numis arabicis in patria repertis. Dissertatio prior. (Ob mortem Auctoris nullae amplius prodierunt.) Aboae 1755. 4. cum tabula aenea, in qua duo argentei, alter *Damasci* a. LXXIX, alter vero *Alschaschae* a. CCLXXXII. accurate expressi cernuntur. Auctor interpretis partes ex asse expleuit.

3) *Barthelemy* Dissertation sur les Medailles Arabes. Inserta est Tomo XXVI. Memoires de l'Acad. Roy. des Inscriptions et belles Lettres a Paris 1759. p. 557. sq. additis duabus tabulis aeneis, quibus XI numi figuris exornati inscripti sunt.

4) *Caroli Auriuillii* disquisitio de *numis arabicis*, cum IV tabulis aeneis, quibus XXXIV numi Semanidarum et Buidarum, vnus Alamini a. 180. *Mohammediae*, Denarius Abbasidarum, nec non denarius Moravidarum dynastae, *Ali ben Iussuf* a. 516. Chr. 1122. *Hispali* cusi, ad viuum mira arte repraesentati sunt. Inserta est Vol. II. Nou. Actorum R. S. Vpsal. pag. 79. sq. Seriem numorum

morum a Semanidis cusorum egregio commentario illustratam *primus* in lucem protulit.

5) *Io. Iac. Reiske* Briefe über das Arabische Münzwesen. Quae epistolae post annum 1759, (nam in ep. V. citat supra laudatam Barthelemii dissertationem,) multo eruditionis et verborum apparatu scriptae, laudati *Repertorii* tomis IX. anni 1781. X. et XI. cum ill. *Io. Gottfr. Eichhornii* notis et numorum vsque ad annum 1786. publicatorum indice, tomis XVII et XVIII. insertae sunt. Quamuis quidem varia in iis occurrant, quae rem numariam Arabum illustrant, multa tamen perperam dicta v. c. de vrbe, qua prima moneta condita fuit, quamque Wasetum fuisse contendit, de formula ضرب امر به, deque aliis nodosis inscriptionibus deprehenduntur, quibus incauti lectores facile in errorem rapi possunt. In indicem numi, quorum aera et monetae loca aperte falsa sunt, vt explicationes taceam, bene multi relati fuerunt.

6) *Carsten Niebuhr* Beschreibung von Arabien. Kopenhagen 1772. 4. In hac descriptione, quae quoque aliis linguis prodiit, tabulis X. et XI. numi 4 — 16. figuris ornati adsunt; n. 3. a. 131 Chr.

Chr. 748. sub primo Abbasidarum Chalifa; n. 1. *Bagdadi* a. 719 Chr. 1319. sub Abu Said Behadur Chan; n. 2. *Mausulae* a. 501 Chr. 1107. sub Almostanser billah, cusi fuerunt. In praefatione Reiskianae horum numorum explicationes tantummodo triuialia tangunt, et ex parte a vera lectione aberrant; siquidem a nemine vnquam explicatos titulos v. c. numi 3. omnium singularissimi, sicco pede, aeram 131. in 331. commutans, transiit.

7) *Georg. Hoest* Nachrichten von Marókos und Fes. Kopenhagen 1781. 4. Tabula XXXIII. numi duo cufici, scil. n. 4. Agmati a. 494 Chr. 1100. sub Iusuf Taschefin; n. 3. *Lamtae* a. 538 Chr. 1143. cusi; n. 1. et 2. Scheriforum; n. 13. 14. 15. Mohaditarum; n. 12. Ahmedis b. Ali, et chalifae Kader billah, aere expressi sunt, addita explicatione, quam a me correctam ill. auctor praefationi ad historiam danica lingua conscriptam: *de rege Maroccano Mohamed b. Abdallah*, Hafniae 1791. 8. inseruit.

8) *Iac. Ge. Chr. Adleri* Museum cuficum Borgianum Velitris, cum tabb. aen. XII. Romae 1782. 4. Pars II. Hafniae 1792. 4. cum tabb. aen. VII.

Pars I. numos CI. et pars II. quae quoque titulum habet: *collectio noua numorum cuficorum CXVI continens numos plerosque ineditos e museis Borgiano et Adleriano digesta et explicata*, numos LXXV. aere accurate expressos complectitur. Quo opere, ita saluus sim, excogitari nihil potest elegantius, et doctius. Profecto cum id inspicerem, visus mihi sum in Chalifarum et Emirorum penetrasse gazophylacia, miratus Eminentissimi Musagetae Cardinalis STEPHANI BORGIA munificentiam, summaque eius et immortalia in litteras orientales merita, et Auctoris praeclaram diligentiam, subactum iudicium, quo vel leuissima quaeque ad examen reuocat, et multiplicem et profundam eruditionem. Sciunt nunc numophili vnde certi auxilii copiam sibi comparent. Nam hoc opus ceu sanctius aliquod numorum a praecipuarum dynastiarum tam muhamm. quam christianarum principibus editorum exempla fide digna et rite explicata complectitur. Quae mihi in hoc opere minus probantur, suis quaeque locis candide, vt decet, aperui.

9) *Simonis Assemani* Museo cufico Naniano. Parte I. In Padova 1787. Parte II. 1788. 4. Cernis

nis in hoc opere CXXV numos aere insculptos, quos inter multi rarissimi reperiuntur. Celeberrimus quidem auctor magno eruditionis apparatu numos curate explicatos *) illustrauit; dolendum tamen est, chalcographum numos arabicos incidendi artem haud probe callentem, varios numorum titulos, praesertim in prima parte ita deformasse, vt omni fere vsu critico excidant. Sed in noua et aucta operis editione, quam parare audio virum, supra quam dici potest, in litteris orientalibus exercitatissimum et integerrimum, eruditorum optatis responsum iri dubium non habet.

10) *Th. Chr. Tychsen* commentationes de numis orientalibus in bibliotheca Regia Goettingensi adseruatis. Goettingae 1790. 4. Peculiari hoc titulo auctae hae commentationes numero tres, Commentariorum S. R. Scient. Goett. Vol. IX et X.

*) Testes habeo ipsa numorum Musei Naniani, quorum explicationem cum aere expressa imagine conciliare non poteram, gypsea ectypa ab exc. Nani et cl. Assemani mecum beneuole communicata. Hinc necesse est, vel numorum accuratam delineationem sculptori tradere, vel eius manus obseruare, ne nubem pro Iunone capiat, et coniectura ad aliquid ducatur, quod fictum est, et in numis male sculptis, qui vel eruditis negotium facessunt, euitari nequit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0090
DFG

X. insertae sunt. In Ima commentatione XVII. antiquiores; in IIda 28 numi recentiores cufici, et in IIItia X. numi Turc. Pers. Ind. tabulis V. aere accurate expressi sunt.

In his symbolis praecipue numi Damasci a. 98. et 102. *) cusi, a quibus في ante سنة, in drachmis aetate prioribus obuium, iam abest, nec non *Alhadii* a. 170. itemque Georgiani, Mogulenses et Tatarici integris titulis praediti, numophilis optato veniunt. Summum cl. Auctoris veritatis indagandae studium, cum praeclara eruditione, et rei numariae inprimis persicae scientia coniunctum, vel me non monente quilibet facile deteget, cui contingit hanc adire Corinthum.

## Cap. V.

### *Numophylacia.*

Pauca, proh dolor, de numophylaciis arabicis referre licet. In caussa est, quod quum olim numorum

*) Pro numero 102 rectius forte legeris 130. ثلثين ومية Nam ثنتين in numis non occurrit. Quicquid sit, aera in hoc numo obscura et dubia mihi videtur, quod tamen neque eius antiquitati neque raritati aliquid detrahit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0091
DFG

morum arabicorum scientia prorsus neglecta iaceret, nec vllus reperiretur, qui summam eius in historia et philologia vtilitatem adductis exemplis demonstraret, iis data opera colligendis, illustrandis commendandisque, neque mecaenates, neque eruditi insudarent. Hinc instructissima alias numophylacia vix vnum alterumque numum cuficum, multo minus seriem Chalifarum et dynastarum, ceu monumenta pretiosissima asseruant, aut si hisce haud omnino destituta sint, eruditi, qui gazas istas peculiaribus libris descripserunt, nescio qua culpa, numos cuficos vel sicco pede transierunt, vel ieiune satis recensuerunt. Nemo itaque mihi vitio vertet, si pauciora, quam dare vellem, aut numophili exspectent, in numerum referam.

## ANGLIA.

*Oxonii* in scriniis Bodleianis numos quosdam cuficos recondi, e catalogo Wisiano discimus. Sed auctor nullum eorum rite descripsit aut aere repraesentauit, sat habens, paucorum recentiorum, praecipue Maroccanorum et Turcicorum falsissimas Gagnierii transscriptiones et explicationes exhibere. Numus p. 311. aere expressus idem est, quem

Ad-

Adlerus n. XCII. dedit. Sed auctor ignorauit, quid distent aera lupinis. Numus II. ni fallor, ad Ommiadas Hispaniae pertinet, licet Gagnierius eum Alexandriae a. 310. Chr. 922. cusum audacter pronunciare nullus dubitauerit. Nam suram CXII. in *Auersae* area habet.

## DANIA.

*Tunderae* S. R. *Adlerum* Superintendentem generalem, et consistorii Eccles. supremum consiliarium in ducatu Schleswicensi, numos cuficos haud paucos et rarissimos possidere, e tomo II. Musei Cuf. Borgiani Velitris cognoscimus, quorum praestantissimos in dicto tomo aere expressos euulgauit.

De ill. *Niebuhrii* numis supra verba feci.

## GALLIA.

*Lutetiae* numophylacium Regium numis cuficis locuples esse, dubitari nequit. Sed exceptis paucis istis figuris ornatis leuioris momenti numis, quos ill. *Barthelemy* proposuit, nihil de eius gazis compertum habemus.

## GERMANIA.

*Berolini* numophylacium mercatoris magnarii, reique numariae orient. peritissimi *Phil. Petr. Adler* V. C. numis graecis, romanis *rel.* plus quam 18,000 refertissimum, cuficos XXX, et ingentem rarissimorum Indic. Pers. et Turc. numorum, quos inter aurei, qui a Zodiaco nomen habent, praecipue eminent, numerum a me diligenter perlustratum complectitur.

*Dresdae* in numophylacio Electorali cuficos numos bene multos asseruari, e Reiskiana quorumdam explicatione intelligimus.

*Goettingae.* De numophylacio Acad. supra mentionem feci.

*Gryphiswaldiae* bibliotheca Academica seruat quatuor numos cuficos sub Hamdanidis et Buidis cusos, Wollini in Pomerania e terra erutos.

*Guelpherbyti* in Bibliothea Ducali numos orientales variorum locorum ac characterum aetatumque recondi *Io. Iac. Kehr* litteris a. 1723. scriptis (vid. Numophylacium Schulzianum. P. I. Lips. 1746. 4. pag. 397.) consignauit.

*Philipsthal* iuxta Potsdam, Numophylacium ill^mi Regi Borussorum a consiliis legationis intimis,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0094
DFG

mis, Legati olim apud Aulam Othomanicam in litteratura Turcia versatissimi DE DIEZ, Seldsjucidarum et Osmanorum opibus abundat, vt cum quouis alio vel numis amplissimo de palma facile contendere queat, vt experientia me docuit. Denarius a. 192 in tab. I. n. III. expressus istius numophylacii cimelium est.

*Rostochii.* In mea collectione adsunt numi argentei Chalifarum annis insigniti integri XIX, fragmenta cum aera VIII. Semanidarum *rel.* integri XXI, fragmenta cum aera XII; Hispaniae chalifarum et principum, quos duumuirorum Hispaniae *Arandae* et *Bayeri* liberalitati debeo, XI; aerei V, et aurei Hisp. et Mauritaniae IV. Numorum autem integrorum et truncatorum sine aera LXXXV. possideo. Recentiores mei orientales XCVI numero, in censum quidem non veniunt, si cum *Diezii* et *Adleri* Berolinensis gazis comparentur; maximam tamen partem aurei et argentei sunt ad institututionem selecti.

*Schwerinii* numophylacium Ducale numorum Indicorum maximam partem aureorum amplum numerum, cuius indicem olim dedi in *den gelehrten Beytraegen zu den Mecklenb. Schwerinschen*

*Nachrichten St. 37—41. et 51. 57. anni 1785.* complectitur.

*Vindobonae* Museum Caesareum numos cufi-cos habere, testantur numi pessime aere expressi in diario: *Das Neueste aus der anmuthigen Gelehrsamkeit. Leipzig 1752. et 1753. 8.* In tomo anni 1752. adsunt *vnus* Semanidarum, et *quinque* aerei cum iconibus; in tomo a. 1753, aureus a. 165. Argenteus, qui a. 166. Andalusiae cusus esse videtur, et *tres* aerei cum iconibus conspiciuntur. Ill. *de Murr* l. c. p. 52. in hoc museo asseruari narrat 320 argenteos, XI aereos et denarium, in Hispania coemtos et nondum explicatos. Vtinam ill. *Ekhelius* hos numos desertos adoptaret!

## HISPANIA.

*Madriti* Musei Regiae Academiae histor. numos delineatos, et a cl. *Mich. Casiri* in peculiari opere nondum edito explicatos memorat ill. *de Murr* in diario: *Iournal zur Kunſt-Geschichte, Tomo X. p. 293.* *)

ITA-

*) In ipsa Hispania Maurorum numi rari sunt. Caussam raritatis eam esse litteris d. XIII Apr. 1793. ad me datis ill. Aranda significauit: „Nadie, que yo sepa, ha escrito

## ITALIA.

Eminentissimi Cardinalis Stephani Borgia, exc. Equitis Iacobi Nani, et Archiepiscopi Alfonsi Airoldi musea cufica amplissima et vsu nobilitata supra nominaui.

## RUSSIA.

*Petropoli* museum Imperial. Acad. Scient. ingentes numorum cuficorum et recentiorum, a Io. Iac. *Kehr* ex parte in tabulas relatorum explicatorumque thesauros seruare in ill. *de Murr* Beshreibung von Nürnberg p. 549. relatum legitur. Optandum est, vt inclyta Academia suas gazas orientales diutius repositas et reconditas haud habeat.

Museum perill. Lib. Bar. *de* Asch, teste *Bernoulli* V. C. in itinerario T. V. p. 17. numorum turcicorum et tataricorum copia abundat.

## SUECIA.

*Stockholmiae* in Archiuo Regio Antiquitatum visuntur, teste *Auriuillio* l. c. pag. 92. praeter



escrito en Espanna de proposito, sobre las monedas arabigas, y se encuentran pocas; porque si son de plata, se fanden, si de vil metal, las gastan los campaneros.“

nonnulla fragmenta, XLII Chalifarum numi, quos inter numi Damasci a. 79. et 127, itemque nouissimus a. 365. coruscant.

Laudantur ab eodem numophylacia, nimirum Wallenstralianum et Ehrenpreusianum Academiae Vpsaliensis.

## TURCIA.

*Constantinopoli* exc. *Robertus Ainslie* Regis M. Britan. in Aula Osmanica orator, numis orientalium conquirendis summam curam ac diligentiam adhibens, immensas suas iamiam acquisitas opes ab erudito Italo *Domenico Sestini* digestas et explicatas luci publicae, vt fama venit, expositurus est.

# Sectio II.

## *De numorum sub Chalifis orientalibus signatorum titulis.*

### Cap. I.

#### De titulis Chalifarum Ommiadarum.

§. 1.

In titulis numorum cuficorum magna adest varietas. *Primum* epigraphe solis sententiis Alcoranicis, monetae loco, nisi obstabat spatii angustia, et aera absoluebatur; *deinde* nomina Chalifarum, regni sociorum, status administrorum proregumque, auctis titulis addebantur, *postea* ruente Chalifarum imperio tot tamque varias induxerunt formas, vt in immensum fere excreuerint. Non est nostri instituti, singulorum numorum, qui ad nostram notitiam peruenerunt, intra septem seculorum spatium cusorum singularia heic describere, quod immensi et ingrati laboris opus foret, sed ea tantummodo delibare, quae ad hos numos enucleandos aditum praecipue patefaciant.

§. 2.

Numi a Chalifis orientalibus, qui primum *Damasci*, deinde *Bagdadi* imperii sedem fixerant, procusi duplicis generis, nimirum Ommiadarum et Abbasidarum sunt.

*Ommiadarum* quorum regia Damascus erat, numi, quotquot noti sunt, sequentibus titulis sunt insigniti:

I. seu Antica pars.

1. *Area:*

لَا إِلٰهَ إِلَّا Neque est Deus, nisi

ٱللّٰهُ وَحْدَهُ Deus vnicus,

لَا شَرِيكَ لَهُ Neque est consors ei.

2. *Margo:*

بِسْمِ ٱللّٰهِ ضُرِبَ هٰذَا ٱلدِّرْهَمُ . . .

(ٱلدِّينَارُ l.) بِدِمَشْقَ (بِوَاسِطَ l.) فِي سَنَةِ

h. e. *In nomine Dei cuditur* (s. cusa est) *haec Drachma* (Denarius) *Damasci* (Waseti) *anno* - -

II. seu

II. seu Postica pars.

1) *Area*, ex Alcorani capite CXII.

أَللَّهُ أَحَدٌ أَللَّهُ Deus *est* vnus. Deus *est*

ٱلصَّمَدُ لَمْ يَلِدْ وَ aeternus, neque gignit

لَمْ يُولَدْ وَلَمْ يَكُنْ neque generatur, neque est

لَهُ كُفُوًا أَحَدٌ ei compar vnus.

2) *Margo* e Sura IX, 33. aut LXI, 9. coll. XLVIII, 28.

مُحَمَّدٌ رَسُولُ ٱللَّهِ أَرْسَلَهُ بِٱلْهُدَى وَدِينِ

ٱلْحَقِّ لِيُظْهِرَهُ عَلَى ٱلدِّينِ كُلِّهِ وَلَوْ

كَرِهَ ٱلْمُشْرِكُونَ h. e. *Muhammed est legatus Dei, quem misit cum manuductione et religione vera, quo eam extolleret super religiones omnes, si vel refragarentur associantes* (s. Deo socium tribuentes, i. e. gentiles et christiani.)

Obs. 1. في ante سنة, in drachmis antiquissimis Damasci *) et Waseti cusis varie formatum occurrit, quod tamen a denariis Damascenis abest. **)

2. In his denariis Damascenis, quorum iustae magnitudinis speciem a. 106. tab. I. n. I. proposui, areae II. titulus dictione يولد, et marginis: كلا ob angustum spatium terminatur, et monetae locus exulat. Praeterea symbolum eam numi partem occupat, ad cuius marginem comma Alcorani IX, 33. extat, quum contra Drach-

*) Numus Borgianus I. anni 90. ~~Damasci~~ Istachrae dubio procul cusus, في ante سنة habet; contra vero abest a numis Goettingensibus a. 99 et 102. vt supra pag. 46. memoraui.

**) In aereo Waseti a. 104. Chr. 722. edito, qui in Museo Naniano sub n. CXI. reperitur, في istud quoque adesse, e nota obscura post واسط coniicio. Si vero numi aerei Naniani Damasci cusi XXII. LXXX. et LXXXI. ad hanc periodum referri possent, in quorum area II. monetae locus extat, aberrationis a regula luculentum quoque testimonium essent praebituri. Sed hoc cl. Assemani iudicio lubens permitto. In argenteo Goettingensi Waseti a. 91. excuso, cuius ectypon cl. Tychsen mihi largitus est, في quoque obuium est, eleganter vt in numis Turcicis, formatum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0102
DFG

Drachmarum pars antica, quae symbolum seruat, monetae locum et aeram in margine exhibeat.

3. Denarii *Waseti* signati a Damascenis in eo discrepant, quod non modo monetae locum, et caput Alcorani CXII. more in drachmis solito integrum exhibeant, sed titulo quoque marginali e Sura IX, 33. petito prorsus careant, vt numus Borgianus II. a. 99. in cuius margine clare legitur: بسم الله ضرب هذا الدينر بواسط سنة تسع وتسعين *in nomine Dei cuditur hic denarius* Waseti *anno nonagesimo nono*, in aprico ponit. Aereus Nanianus CXI. *Waseti* a. 104. typo denariis destinato Damasci excusus, a quo symbolum et comma IX, 33. absunt, et cuius aera et locus in area II. extant, ad statuendum me inuitat, quod differentes denariorum species ex officina Wasetina prodierint.

4. Numi sub primis Gubernatoribus et Emiris Hispaniae Ommiadis, inde a Musa b. Naşir vel potius ab Alahor fil. Abdorrahmam Alsafak, qui sedem, quam Hispali habuit, Cordubae collocauit, scil. ab a. 100. Chr. 718. vsque ad Abdorrahman III. qui a. 300. Chr. 912. Chalifae titulum sibi adscripsit,

psit, *Andalusiae* s. Cordubae conflati, cum Omniadarum Asiaticorum argenteis in omnibus concordant, *) vt numus XII. tab. I. anni 164, quem vna cum aliis annorum 144. 204. 231. 235. 246. et 287. possideo, itemque Nanianus LII. a. C. conflatus indicio sunt. Qui vero post eum, ni fallor, prodierunt, Abbasidarnm numorum potius faciem habent, vt argenteus Nanianus LXXXIII. anni 355. et meus tab. I. n. XIII. a. 370. Chr. 980. **) comprobant.

5. Numus Tomo V. Bützowische Nebenstunden oscitanter aeri a me tirone incisus, et ab *Adlero* pag. 4. excitatus, qui Abdolmaleci et Hedsjadsji nomina in fronte gerit, Almakrizii, Elmacini aliorumque relationibus firmatur. Quoniam autem numus Archiui Regii Stockholmiensis *Damasci*

a.

*) Si tamen fides habenda sit Gagnierio apud Wise in catal. bibl. Bodlei. pag. 312. numus II. Andalusiae (minime Alexandriae, vt habet,) a. 310. cusus, in eo a caeteris abludit, quod tria Symboli vocabula لا شريك لا qui socium non habet, absint.

**) Ne quem moretur, quod compendii et laboris ingrati vanique minuendi caussa sententiam marginalem Aversae e Sura LXI, 9. petitam, quae in omnibus his Omniadarum et Abbasid. numis fere adest, aere non expresserim, numo II. excepto, qui exempli loco sufficiat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0104
DFG

a. LXXIX. excusus (tab. I. n. II.) antiquior, et supra laudatis Ommiadarum drachmis ex asse respondens, multum ab hoc numo aberrat, nec nisi eius ectypon et male pictum, et ichtyocolla expressum, quod vna cum aliis exc. comes ab *Holstein* Regis Daniae administer explicandum mihi miserat, ipse vidi, dies venturus iudicabit, vtrum veris, an suspectis aut spuriis sit annumerandus? Repetita ectyporum acri perlustratione, haec iis inscripta esse nullus iam dubito.

I. 1) *Area:*

لا اله الا Non est Deus, nisi

الله وحده Deus vnicus.

لا شريك له cui consors non est.

2) *Margo:* بسم الله ضرب هذا الدرهم بدمشق سنة (vel اثنتين) خمس وسبعين

*In nomine Dei cuditur hic Dirhem Damasci anno septuagesimo secundo* (aut quinto.)

II. *Area* sine marginali inscriptione, vt numus Wasetinus anni XCIX. est:

قل dic:

الله صمد Deus est aeternus.

صمد

محمد رسول الله Muhammed est legatus Dei.

الخليفة العبد الملك Chalifa est Abdolmalec.

الحجاج بن يوسف Alhedsjasj fil. Iusuph.

Variasse numos Ommiadarum circa ipsa monetae incunabula, obseruatio tertia docet. Mirum itaque non est, si numus Hedsjasii habeat, quod proprie suum est, ideoque ab Abdalmaleco immutatus, et postica eius pars, ne eius titulus, qui caeteros inuentione antecellit, ob nominis sui inter titulos Alcorani et fidei symbolum collocationem, sibi fraudi apud zelotas esset, Sura CXII. integra ornatus sit.

## Cap. II.

### De titulis numorum sub Chaliphis Abbassidis Bagdadensibus conflatorum.

§. 1.

Pulsis Chalifatu Ommiadis, ad *Abul-Abbas Abdallah Alsaffah*, imperium, quod ex nomine eius *Abbas* appellationem postea traxit, anno 131. Chr. 748. transiit. In solio vix collocatus Vezirio

rio *Abu Moslem*, cuius praecipue ope Ommiadarum imperium deletum fuerat, tanti beneficii memor Chorasanam ab eo expugnatam iure fiduciario tribuit, inque memoriam huius inaugurationis numum sequentem, quem *Niebuhrius* Tab. X. n. 3. dedit, titulis in Ommiadum numis obuiis prorsus immutatis cudi iussit: ὅτι εἷς ἐστι θεὸς, καὶ οὐκ ἐστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ. Marci XII, 32.

I. Area. لا اله Non est Deus 1 Cor. VIII, 4. Οὐδεὶς θεὸς ἕτερος εἰ μὴ εἷς.

الا الله nisi Deus

وحده vnicus.

*Margo:* قل لا ~~استكفي~~ أسألكم عليه ~~صلاته~~ أجرا الا المودة في القربى dic: ~~neminem alium~~ non aliam a vobis ~~preces suae contentum reddunt, nisi credentem in Dominum suum.~~ posco mercedem, quam amorem in propinquos Sura XLII, 22.

II. A. محمد Muhammed

رسول legatus

الله Dei. (Sura XLVIII, 28.) *).

*Margo:*

*) Aereus, quem vna cum octo aliis antiquissimis ex dono Cl. Assemani possideo, Naniano XXV. respondens, primis sub eo cusis numis adnumerandus videtur, quod in Aversa ab omnibus mihi cognitis recedat, hoc insigni-

*Margo:* بسم الله ضرب هذا امر به ابو مسلم امير... في سنة احدي وثلثين ومية
*In nomine Dei. Iussu* (Chalifae). *Abu Moslem Emir* (scil. renunciatus est). *Anno 131. Chr. 748.*

Haud multo post numos prope ad Ommiadarum similitudinem accedentes signauit, nisi quod loco capitis CXII. Alcorani, tam in Denariis, quam in Drachmis, alteram Symboli muhammedici partem: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei*, quae ab Ommiadarum numis aberat, substitueret, vt e numo meo egregio Tab. I. n. VII. a. 134. patet *).

§. 2.

insignitus titulo: محمد عبد الله ورسوله Muhammed cultor Dei, et eius legatus. Aduersa symbolum supra allati numi habet. Aereus Nanianus XXIV. simili titulo fere gaudet: محمد رسول الله وعبده Muhamm. est legatus Dei et eius cultor s. seruus.

*) Aerei quidam Abbasidarum antiquiores, aut titulos a consuetis diuersos ad marginem Auersae habere videntur, v. c. numi Naniani VI. XIII. LXII. et Borgianus P. I. n. IX. aut iis prorsus carent, vt: Naniani X. XIV. XV. sq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0108
DFG

§. 2.

Successoris sui *Almansoris* priores editi numi v. c. *Bassrae* 136. Chr. 753. qui penes *Adlerum* Berolinensem est, *Basrae* 142 Chr. 759. *Bagdadi* 153 Chr. 770. qui in Museo Cufico Borgiano (Part. II. p. 9.) reconduntur, meris titulis Alcoranicis, vt prior, gaudent. Sed post annum 153. non modo Chalifae *Mansoris*, sed et Vezirii, aut rei monetariae praefecti, aut alius hominis nobilissimi nomen drachmis insculpi coeptum est, vt numus meus *Rakkae* a. 155. Chr. 771. (Tab. I. n. VI.) procusus probat. Hinc quorundam relatio apud *Alsoiutum*: Almansorem omnium Abbasidarum primum, nomen suum numis inscripsisse, extra aleam posita est.

§. 3.

Sed et hoc praeprimis commemorari meretur, quod iam eo tempore, quo *Almansor* meris titulis numos suos ornabat, filii sui, quem successorem suum proclamauerat, nomen *Almohdi Muhammed* numo a. 150 Chr. 767 *Mohammediae* excuso (Tab. I. n. IV.) sequenti praecessoris formula in area B. insculpi, et symbolum: *Muhammed est legatus Dei*, exulari mandauerit:

و *Et* (respicit ad aream I.)

مما أمر به أ *ex mandato* (sc. Chalifae.)

المهدي محمد *Al-Mohdi Muhammed*

بن أمير المومنين *Filius Imperatoris fidelium.*

§. 4.

Formula itaque مما امر به, quae Kehriū et Reiskiū aliisque eo redegerat, vt quo se verterent, nescirent, *Abdallae Alsaffah* Imo Abbasidarum Chalifae debet originem. Nihil autem aliud eo innuere voluit, quam quod proprio suo, minime vasalli mandato, hic numus *vel* in signum clientelae, *vel* iuris ad futuram successionem, *vel* eius permissu et priuilegio cusus sit. Quod vt clarius pateat, verba laudata: *de quo mandauit*, de ipso Chalifa, minime de filio aut vasallo esse intelligenda, has caussas afferre licebit.

1. Tam diu haec formula numis insculpebatur, dum Chalipha imperio praeerat. Quo autem vel mortuo vel remoto, successor eam amplius in numis non adhibebat. Hinc de mandato eius, cuius

cuius in numo fit mentio, intelligi nequit. Vid. Tab. I. n.IV. *)

2. Quum Bagdadenses a. 196. *Alamino* imperio remoto, *Almamunum* fratrem, Chalifam renuntiassent, laudata formula in numo hoc anno procuso non reperitur. (*M. Cuf. Borg.* l. c. n. XX. a. 196. coll. n. XXII. a. 201.) *Alamino* autem ad Chaliphatum iterum euocato, in numis *Almamuni*, quem *Alamini* successorem pater declarauerat, dicta formula denuo apparet. (*M. Cuf.* l. c. num. XXI. a. 198. coll. n. XIX. a. 195.)

3. Chalifae ius numos suo nomine cudendi sibi reseruabant. Hinc tantummodo iis in numis, in quibus ipsius Chalifae nomen expressum extat, saepius laudata haec formula, recte transfertur: *iussu Chalifae* N. N.

Obs. *Makrizius* auctor est, *Alamino* a. 198. interfecto, et *Almamuno* in eius locum suffecto, ne vllum quidem repertum esse, qui modulos numorum cudendorum sculpere potuisset. Hinc lucide apparet, cur numi sub chalifatus eius auspi-

 ciis

*) Huc quoque spectat numus LXXXIV. a. 209. in Mus. Cuf. Borg. T. II. p. 130. sq. descriptus, de quo infra Sect. II. Cap. V. §. I. data opera dicendi locus erit.

ciis adhuc desiderentur, nec ante annum 200 reperiantur. Mihi solummodo innotueruut sequentes durante eius chalifatu editi numi: *Waseti* 200; *Muhammediae* 201; *Bassrae* 204; *Herât* 206. *Meccae* 209.

§. 5.

*Almohdi*, Mansuris filius, ad Chalifatum euectus, in area B. titulo consueto: *Muh. leg. Dei*, primus votum addidit: صَلَّى ٱللَّهُ عَلَيْهِ وَسَلَّمَ *propitius sit Deus ei benedicatque*, et nomini suo dignitatis titulum: ٱلْخَلِيفَةُ ٱلْمَهْدِي *Chalifa Al-Mohdi* praeposuit.

Eadem inscriptio cernitur in numo filii eius *Musa Alhadi* (موسي الهادي) *Muhammediae* a. 170. et Almotaki Lillah Bagdadi 331. *), 2) Aaronis Raschidi, a. 180. **) Almostadheri a. 508.

*) Tychsen comm. I. tab. I. n. 4. et 12.

**) Kehr tab. II n. XIII. In Raschidi denariorum linea quarta B. sola dictio الخليفة Chalifa; in aliis eius Drachmis a me adhuc visis neque nomen eius et dignitas, neque votum occurrit. *Tab. I. n. 3.*

508. *). 3) Mostasemi a. 640. **). 4) Abaka Kani, Bagdadi post an. 663. ***).

§. 6.

Quum *Aaron Raschid* filium suum *Alaminum* annos quinque natum, a. 175. Chr. 791. successorem suum designasset, numos cudi iussit formula ab Abdallah introducta صبا امر بهٖ *ex mandato* notatos, addito titulo: اَلْاَمِيْرُ فُلَانُ بْنُ اَمِيْرِ اَلْمُؤْمِنِيْنَ *princeps NN* fil. *principis fidelium* ****).

§. 7.

Tributo autem a. 186. Chr. 802. alteri filio *Abdallae Almamuno*, succedendi fratri suo Ala-

 mino

*) Niebuhrii Descriptio Arabiae tab. X. n. 2.

**) Adler in Mus. Cuf. Borg. T. II. tab. II. n. XXVII.

***) Adler l. c. tab. V. n. LXXX.

****) Adler l. c. tab. I. n. XVI. Muhammediae a. 181. et Aurivillius in Nou. Act. S. Vpsal. T. II. tab. III. n. 5. ib. a. 180. Kehr n. XV. Samarcandae 185. Fragmentum numi eodem anno in vrbe pacis (Bagdadi) 185 cusi, et in Actis Vps. tab. III. n. 4. aere expressi, quod vna cum aliis b. Auriuillii numis cuficis, multisque ectypis ichtyocollae formatis, (l. c. pag. 81. not. l.) ex parte in his Actis T. II. tab. I—IV. descriptis, publica auctionis lege in meam transiit potestatem, seruat formulam saepe laudatam: صبا امر بهٖ, non autem وما vt erronee ibi incisum fuit.

mino iure, titulis in Alamini numis, quos modo nominaui, obuiis verba adnexuit Chalifa: وَلِيُّ وَلِيِّ عَهْدِ ٱلْمُسْلِمِينَ *successor successoris foederis orthodoxorum* (h. e. in chalifatu.) Numum meum egregium hoc ipso inuestiturae anno 186 *Balchae* cusum in tab. I. n. IIX. expressi, cui simile ibidem a. 189. editum quoque possideo. Ven. *Adler* alterum n. XVII. *Balchae* 187; alterum n. XVIII. vt legit, بمعسكر الشاش *castris Schaschensibus* a. 190. excusos habet, et *Kehrii* num. V. *Balchae* a. 188. et n. VI. ibid. a. 189. editi fuerunt.

§. 8.

In numo Almamuni *Samarcandae* a. 188. Chr. 803. conflato, *prima vice* titulus امام *antistes* *) (sacrorum) quem soli Chalifae tunc gerebant, occurrit: لله وبه Deo, et per eum (*est*)

محمد رسول الله Muhammed legatus Dei.

مما امر به الامام Iussu (Chalifae). Imam

المامون امير المومنين Almamun, princeps fidelium.

الفضل Al-Fadl (*eius Vezirius*)

Obs.

*) Caussam, cur sibi ipse hunc titulum, solis Chalifis proprium, viuente adhuc legitimo Chalifa, adscripserat, Elmacinus p. 115. commemorat. Rebellis enim tunc erat, qui sibi omnia dat.

Obs. 1. In numis sequiorum Chalifarum Abassidarum Formula: صبا امر بهٔ non amplius occurrit, quippe qui *vel* solum nomen successoris, vel ei iunctum بن امیر المومنین *filius imperatoris fidelium* exhibent. *Adler* l. c. n. XXIII-XXV. XCIII. Acta Vpsal. l. c. tab. III. n. 1. *) IV. n. 2.

2. Nomina filiorum, Calipharum haeredum, solummodo Drachmis seu argenteis, non autem aureis, et, ni fallor, aereis, teste Elmacino p. 149. inscribebantur, cuius asserti veritatem numi ipsi tuentur.

3. *Motasemum* Aaronis Raschidi filium, nomini suo dictionem بالله *per Deum* s. *Dei gratia* omnium primum adposuisse ex historia patet. Sed nondum, quod sciam, numi prolati sunt, qui idem probent. Equidem, nisi memoria me fallat, ne vnum quidem sub eius et filii successoris *Watsik* imperio cusum numum vidi, aut de eo quicquam relatum legi.



*) Numi istius Cufae a. 230 signati Auersa sex lineas scriptas habet, quarum sexta in Aurivilliano, nunc meo excemplari ita omnino oblitterata est, vt vix singulas quasdam litteras . . . ملاد . . . ك, errore vacuus detegere valeam.

Chalifa VII ~~Mutawakkel Alallah~~ Al Mamun in antica Drachmarum parte praeter interiorem in orbem ductam anni et loci inscriptionem, sequentem aliam ad marginem primus* collocasse videtur Sura XXX, 4. 5. desumtam:

لِلَّهِ ٱلْأَمْرُ مِنْ قَبْلُ وَمِنْ بَعْدُ وَيَوْمَئِذٍ

يَفْرَحُ ٱلْمُؤْمِنُونَ بِنَصْرِ ٱللَّهِ

h. e. *Deo est imperium de praeterito et futuro. Iam laetentur fideles auxilio diuino.* Hanc forte sententiam drachmis suis inscribi curauit, postquam praeter fas ac spem ad Chalifatum promotus fuerat. (Elmacin p. 178.) *) Successores eius hunc duplicem marginem in propriis, et dynastarum, qui Chaliphatus dignitatem admittebant, numis retinuerunt, **) denariorum modulum similem ei, qui

*) Adler l. c. n. XXIII. Bagdadi a. 237.

**) Excipiendi sunt numi: 1) vltimi chalifae Bagdadensis, qui marginis exterioris versum Alcorani ad areae latera relegauit, (Adler l. c. n. XXVII.) 2) Chodabendeh Muh. in cuius area B. priora sex huius versiculi vocabula tantummodo extant, (Assemani n. CVI.) 3) Ayubitarum, qui nomine chalifarum Abbasidarum insigniti sunt. Almamuni medin. ess. a. 206. iam apparet

*In numo ~~Al-Watsik~~ Almotasem Mohammediae a. ~~[illegible]~~ 218 cuso iam adest margo exterior.

qui Drachmis proprius erat, reddentes, quo titulis auctis capiendis aptior esset. *)

§. 10.

Numi, quibus nomina et Chalifarum Bagdadensium et dynastarum *vel* Soffaridarum et Achschiditarum, *vel* Semanidarum, Buidarum et Hamdanitarum inscripta sunt, argumentis et modulo sibi sunt simillimi. **) Vidi tamen numum Ismaelis b. Ahmed vno tantum margine in *aduersa* et *auerſa* praeditum, cui in vtroque margine comma Surae IX. 33. inscriptum, et in area I. symbolum لا اله الا الله وحده لا شريك له calligraphice quidem, sed ordine retrogrado exaratum erat. Area II. haec recte scripta seruabat:

| | |
|---|---|
| لله | Deo. |
| محمد | Muhammed |
| رسول الله | legatus Dei. |
| المعتضد بالله | Almotadhed billah |
| اسمعيل بن احمد | Ismael fil. Ahmed. |

 §. 11.

*) Niebuhr tab. X, n. 2. Mosulae a. 508.

**) Ectypa eorum vide apud Adlerum l. c. Tab. II, n. XXIX—XLVIII. Tab. VI. n. XCIII. Auriuillium l. c. tab. I—IV. quas ipse aut e penu mea augere, aut lapsus a Reiskio aliisque commissos corrigere velle supercaneum duxi.

§. 11.

Quodsi in his Dynastarum numis praeter Chalifae et dynastae, etiam Chalifae filii haeredis, et dynastae filii aut fratris nomina occurrunt, communiter *) in *Aversa* post لله Deo (sc. *competit imperium, deinde eius legato, postea huius vicario* etc.) primarium obtinet locum Muhammedis, proximum ei capit Chal. et Dynastae nomen, honoris et potestatis caussa, (tab. I. n. X. anni 284.) in *aduersa* autem filii regni haeredis, et vltimo loco filii aut fratris successorum Dynastae nomina locum nanciscuntur. Exemplo sit e meis Hamdanidarum Waseti 331. Bassrae 328. Bagdadi 330 et 331. (*Tychsen* Tab. I. n. XII.) cusis numis, Wasetinus a. 331. procusus.

A. Area:

لا اله الا الله — Non est Deus, nisi Deus
وحده لا شريك له — vnicus, cui socius non est,
ابو منصور بن — Abu Mansur filius
امير المومنين — Imperatoris fidelium.

سيف

*) In numo Ahmed b. Nassr cuso Enderabe 301. Chalifae nomen in Aduersa, et Dynastae in Aversa collocatum fuit. Aurivill. Tab. I. n. 7. quod tamen raro factum est.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0118
DFG

سيف الدولة Seif Eddaulah
ابو الحسن Abulhassan.

Margo interior et exterior sunt vt supra descripti.

B. Area:

لله Deo
محمد رسول الله Muhammed legatus Dei
المتقي لله Almotaki lillah.
ناصر الدوله Naser eddaula
ابو محمد Abu Muhammed.

Margo vt supra.

§. 12.

In Semanidarum numis varia occurrunt anomala:

a. Ismaelis b. Ahmed solum nomen *vel* integrum, (*Aurivillius* tab. I. 1.) *vel* ei additum in *Aduersa: Ahmed b. Ismail*, (l. c. n. 4.) *vel* ابو الحسن ولي الدولة الزعيم *Abulhassan princeps dynastiae Semanicae*, (l. c. n. 3.) cuius loco in numo *Adleri* XXVI. Cufae a. 291. in *Aduersa* nulla iniecta Ismaelis mentione, legitur ولي الدولة *princeps imperii.* Numus Auriuillii 1. *Alschaschae* a. 281. solum seruat nomen: *Ismail.* In Fragmento sub Al-

Almotaded et Ismaele cuso idem quidem obseruatur, sed in *aduersa* s. sub symbolo, adest mihi incognitum nomen بمكتن aut نمكب —

b. *Ahmed Fil. Ismail* filio primogenito Nassr auctus, praenomine ab eo desumto ابو نصر *Abu Nassr*, numos cudi fecit, v. c. *Balchae* 299. in quorum Aduersa hoc nomen sub symbolo collocauit. *Auriuill.* tab. I. n. 6, *Tychsen* t. II. n. XVI.

c. In quibusdam numis, *Ahmed b. Nassr* et *Manssur b. Nuh* titulo اَلْعَادِلُ *iusti*, et مَلِكُ اَلْأَنْصَارِ *regis Adiutorum* sc. Muhammedis; (*Auriv.* II. 3. 4.); in numo *Nuh b. Nassr* autem اَلْمَلِكُ اَلْمُؤَيَّدُ *regis fortis* salutantur. (Aurivill. tab. I. 7. II. 5. 6. 7.) *Adlerus* excitat numum XLIV. *Balchae* 315. eiusdem Nassri, qui in *Aduersa* sub symbolo, linea IV. habet حَسْبِيَ اَللّٰهُ *sufficit mihi Deus*, cui similem nunquam videre mihi licuit.

d. Numi principis Semanidarum *Nuh b. Mansur*, eiusque successorum a nemine, quod sciam adhuc visi, aut editi sunt.

e.

e) Sunt in manibus meis numi in ditione Semanidarum cusi, quibus inscripta non sunt dynastarum, sed aliorum mihi incognitorum principum nomina. E fragmentis eorum apud *Aurivill.* tab. III. 9. 10. typus eorum dignosci potest. Num. 9. *Samarcandae.* a. 306. Chr. 918. cusus, nomen ميكال بن جعفر (f. pro ميكايل *Michael*) aut منكال *Muncal*, aut مندار *Mondar* legi potest. Numus 10, (*Adleri* XLVIII.) *Schaschae* (annus propter insolentes et rudiores litteras, quae spatium nimis angustum reddebant, plene exprimi non potuit,) editus, in duobus meis diuersi commatis exemplaribus exhibet: (pro الزعمان) الامير الزمان *Princeps Semanida*, quae quoque lectio, vtpote litterarum figuris respondens mihi magis arridet, quam *Auriuillii* الامين بارمال *Alamin Barmal*, *) et *Adleri* الامير الحميد *Princeps laudabilis.*

§. 13.

*Buidarum* numi adhuc cogniti a Semanidicis non discrepant. (*Aurivill.* Tab. III. n. 8.)

Quum

*) Duae hae dictiones minus accurate aeri incisae sunt. Nam vltimae litterae primae dictionis apicem Auriuillius pro د habuit.

Quum sint raro obuii, numum meum anecdotum Emadoddaulah f. Buiah, شيرازى *Schirazi* a. 335. Chr. 946. procusum, omissis marginibus, qui nihil peculiare habent, heic proponam:

A. Area:

| | |
|---|---|
| لا اله الا | Non est Deus, nisi |
| الله وحده | Deus vnicus, |
| لا شريك له | cui consors non est. |
| عماد الدولة | Amadoddaulah |
| ابو الحسن | Abulhassan. |

B. Area:

| | |
|---|---|
| لله | Deo. |
| محمد | Muhammed |
| رسول | legatus |
| الله | Dei |
| المطيع لله | Al-Moti Lillah. |

Sed cudi fecisse dynastiae conditorm *Ali b. Buiah* numos, et characterum typique elegantia, et argenti puritate omnibus Chalifarum numis facile palmam praeripientes, quorum *Aduersa* tres, *Auersa* autem duo titulis ornatos margines habebant, luculentum praebet testimonium, quod *Auriuillius* tab. III. 9. incidi curauit, omnium singula-

gularissimum, nunc meum *Schirazi* editum fragmentum.

A. area:

- - - - - - - - - - - - - -

لا شريك non similis - -

علي بن بوية Ali filius Buiah.

*Margo interior:* الشيراز سنة .. Schirazi anno - - - (322.)

- - - *iniermedius* .. ن ويومئذ يـ .. e Sura XXX, 3. 4.

- - - *exterior:* والنصر .. et victoria - فللصرر

B. area:

- - - - - - - - - - - - - -

- - - س ر leg.

- - - الله Dei.

الراضي بالله Alradi billah

*Margo interior:*

وليظهره علي الدين .. e Sura LXI, 9.

*Margo exterior:* نصر .. victoria. حكا

§. 14.

Numos argenteos chalifarum Ommiadarum et Abbassidarum Bagdadensium, principumque Se-

ma-

manidarum *rel.* per mercatores Hanseaticos, qui cum Russis, et hi cum Muhammedanis, qui prouincias ad mare Caspium sitas, tenebant, commercium faciebant, in prouincias ad mare Balthicum sitas magna copia illatos fuisse, haud exigua eorum ad oras maris balthici effossorum copia satis superque euincit. Quod aerei, qui mercatoribus in deliciis esse non solent, inter eos non reperti fuerint, iudicatu facile est. Contra vero haud facile ad liquidum perducetur, cur nulli vnquam aurei argenteis immixti inuenti sint. Nam vltro largiamur licet, Chalifas aureorum conflaturam sibi reseruasse*, id non impediebat, quo minus isti aeque ac argentei antiquissimi per mercatores Bagdadenses in Chowarezmiam et Transoxanam, et sic porro in Septentrionem inueherentur. Sed nec Chalifarum et principum Aegypti, Mauritaniae et Hispaniae numi in medio Asiaticarum drachmarum detecti vnquam fuerunt. Cuius rei insolitae hanc subesse caussam censeo, quod quum Chaliphae et Sultani Aegypti, teste Macrizio, pecuniae Chalifarum Bagdadensium auctoritatem omnem dempsissent, ii, vt credere fas est, vices reddiderint. Ratio autem, cur interdum numorum fragmenta variae magni-

* Almostacfi billah, teste Abulfaragio hist. dynast. p. 309 l. 13. (p. 195 lat.) امر ان يضربوا الفلوس وكتبوا عليها الدراهم والدنانير nomina et cognomina trium fictitiorum conditoris dynastiae Bowaidarum argenteis et aureis nummis imprimi iussit.

magnitudinis integris numis consociata reperta sint, nulla videtur alia esse, quam quod hi argentei mercis loco a christianis mercatoribus habiti, eamque ob caussam ad explendum pondus, in frusta maiora et minora, vrgente necessitate, confracti fuerint. *) Quae quidem fragmenta non modo rarissima, sed et ex parte haud leuis momenti sunt. Meis adnumero Chalifarum XXVII, et Semanidarum Buidarumque XXV exquisita, partim anecdota, partim ab Auriuillio aeri insculpta fragmenta. Semanidarum autem numos integros XXI. possideo, nimirum.

1) Ismaelis b. Ahmed, *Alschaschae* a. 281. 284. 291. *Samarcandae* a. 287. 294. *Nisabur* 292. *Enderabe* 294.

2) Ahmed b. Nassr. *Alschaschae* a. 294. 297. 303. *Samarcandae* a. 295. *Balchae* 299.

3)

*) De his numis arab. ad oras maris balthici magno numero repertis, Repertorii or. et exeg. Tomo VI. p. 182. sqq. olim vberius disputaui. Conf. eruditissimas de eodem argumento dissertationes Auriuillii l. c. p. 99. et Adleri l. c. pag. 65 sq.

3) Nassr b. Ahmed. *Samarcandae* 299. 321. 330. *Balchae* 306. 331. *Enderabe* 304. *Feraber* 314.

4) Nuh b. Nassr. *Alschaschae* 331. *Balchae* 338.

§. 15.

Sunt mihi numi tam integri, quam eorum fragmenta, quorum specimina quaedam *Auriuillius* Tab. III. n. 7. IV. 1. 3. 4. suppeditauit, in quibus et singularum dictionum, et litterarum positionis et figurae summa est perturbatio *). Quos inter ii, qui duo margines in *Aduersa* continent, ad Semanidarum principes vltimos, aut ad regulos in Transoxana iis coaeuos pertinere; vnico autem in vtraque parte praediti margine numi, numos a Mutawakkelo duobus marginibus insignitos, h. e. annum 237. aetate antecedere videntur.

§. 16.

*) Numus IV. quem in Butzowische critische Sammlungen tomo III. pag. 693. aere expressi, in cuius antica symbolum litteris retrogradis; in postica vero: لا اله محمد رسول الله Deo, Muhammed leg. Dei, legitur, ad hanc classem pertinere videtur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0126
DFG

§. 16.

Vix autem crediderim, omnes modo dictos tam diuersi commatis numos solis imperitis typorum sculptoribus esse attribuendos, quum certa adsint factae istius ex consulto aberrationis indicia. Non enim solum e litterarum figuris modo conuenienti, modo retrogrado et peruerso ordine expressis et collocatis, (*Aurivillius* Tab. III. n. 7. *Tychsen* Tab. II. n. XVII.) sed etiam e dictionibus vna aut pluribus litteris, vel ab initio, vel in medio et fine detruncatis id elucere videtur. Nec hoc tacendum est, quod ipsi Chalifarum et Dynastarum numi eodem cum iis tempore signati, et in oras maris balthici illati, si vel elegantiam in quibusdam desideres, aut naeuos eorum attendas, ab his anomaliis, quae nullo modo ab ipsis sculptoribus, sed ab eis proficiscuntur, qui numorum argumenta ipsis praescripserant, omnino immunes sint. Omnibus itaque probe ponderatis videntur isti titulis inconditis signati et vnum tantum marginem habentes numi, (*Aurivill.* tab. IV. n. 3. 4.) a quodam superstitioso dynasta, *vel* ad magicos vsus, *vel* etiam praecautionis gratia cusi fuisse, ne Dei nomen et Alcorani versiculi recte expressi

impuris manibus tractarentur. Contra vero duorum marginum numi *vel* eamdem originem habent, *vel* a tributariis cuiusuis religionis principibus ad animum suum vel in Chalifam aut dynastam, *vel* in Islamismum inimicum, quasi eorum religio aut imperium retrorsum rediens esset, tegendum forte conflati sunt.

§. 17.

Numi argentei nomine chalifarum Bagdadensium ornati, et post annum 400 Chr. 1009. vsque ad a. 656 Chr. 1258, quo vltimus eorum, *Almostasem Billah*, ab *Hulacu* principe Mogulensium post expugnatum Bagdadum interfectus fuit, euulgati omnino nulli, denarii autem perpauci (*Adleri* n. XXVII.) adhuc innotuerunt.

§. 18.

Vltimo chalifa Fatemidarum in Aegypto *Adhed Ledinilla* a. 567. Chr. 1171. mortuo, eius Vezirius *Salahoddin f. Ayub* dominatum occupans, et chalifas Bagdadenses Abbasidas legitimos Muhammedis successores agnoscens, dynastiam Ayubiticam condidit, quae a. 688. Chr. 1289. finem habuit. Qua extincta Mamaluci, ac primo qui-

quidem *Mamaluci Bahritae* (المماليك البحرية) *deinde Mamaluci Circassi.* (المماليك الجركسي) rerum in Aegypto potiti sunt, donec Turcarum Sultan *Selim*, et huic dynastiae et Abbasidarum Chalifarum imperio anno 923. Chr. 1517. vi et armis finem afferret. Numi sub his dynastis cusi fere omnes nil nisi nomina propria, vel solius dynastae, vel ipsius et chalifae, locum et aeram, raro symbolum et versiculum Alcorani LXI, 9. exhibent. Specimina eorum in Museo cuf. Borgiano, Tomo I. n. XXIV — XXX. et in Mus. Naniano n. XLV. XLVI. XC — XCIX. aere expressa cernuntur. Aureus Goettingensis 64. *) ad numos Mamlucorum Circassiensium Aegypti pertinet, cusus sub chalifa Mostacfi billah Abu Soliman, qui



*) Tychsen Comm. II. tab. IV. pag. 19 sq. vbi sequens ill. Reineggs ingeniosa et mira huius numi explicatio exhibita fuit:

I. سبحان الله المصطفي امير المومنين في ارض الله الواصعة i. e. laudatus sit Deus, Mustapha (i. e. Muhammed) princeps fidelium in lata Dei terra (i. e. Cufae).

II. شيخ عبد الله امير الملك الله Senex s. antistes Abdallah princeps regni Dei. —

ab a. 845 — 855. Chr. 1441 — 1451. Chalifatui praefuit.

I. الامام ابو سليمان المستكفي بالله امير المومنين *Imam Abu Soliman Al Mostacfi billah princeps fidelium.*

II. Litterarum deformitas et perplexitas facit, vt aegre extricetur nomen Sultani: Almalek Aldhaher Seifeddin, الملك الظاهر سيف الدين .. qui ab a. 842 — 857. imperium tenuit.

§. 19.

Huc quoqui trahi debent numi Seldsjucidarum, Ortocidarum et Atabekorum, quibus nomina Chalifarum Abbasidarum inscripta sunt, capite sequenti lustrandi.

## Cap. III.

### De numorum Seldsjucidarum, Ortocidarum et Atabekorum Iraci titulis.

§. 1.

Fundata a *Togrul Beg* a. 429 Chr. 1007. dynastia Seldsjucidarum, in tres stirpes Persiae, Kermaniae et Romaniae Syriaeque efflоruit. Dynastarum

rum Persiae et Kermaniae numi ad nostram notitiam non peruenerunt, quamquam nullus dubitem, quin numos cudi fecerint, quum teste Elmacino p. 297. Sultan Muhammed f. Malekschah Persiae dynasta filio suo in thesauris 11000000 denarios reliquerit.

§. 2.

De principibus Seldsjucidarum *Iconii*, quorum primus *Soliman* a. 467. Chr. 1074. rerum potitus est, res est notissima, quod numi sub eorum imperio, tam iconismis vacui, quam iis ornati, scriptura, quae Neschianae imaginem refert, titulis principum splendidissimis ex parte conflati fuerint, v. c. السلطان الاعظم l. المعظم *Sultan maximus*, l. augustus; ظل الله في عالم *vmbra Dei in mundo*; علا l. غياث الدنيا والدين *excelsus*, *l. lumen mundi et religionis.* (*Adler* n. L. sq. *Assemani* n. XLIII. XCIIX. *Tychsen* tab. II. n. 1.)

Exempli loco sit argenteus in numophylacio Dieziano reconditus signatusque in memoriam pactionis, quae inter tres fratres, filios Caichosru, *Azeddin*, *Rocneddin et Alaeddin* facta erat, (vid.

Abulfaragius in hist. Dynast. p. 322. ad a. 646. et *Adler*. n. LIX.)

I. لا اله الا الله non est Deus, nisi Deus.

محمد رسول الله الامام Muh. leg. Dei. Imam

المستعصم بالله امير المو Almostasem billah, princeps fide-

منين ضرب بقونية في سنة lium. Cusus Iconii anno

تسعة واربعين وستماية 649 Chr. 1251.

II. السلاطين الاعظم Sultani maximi

عز الدنيا والدين كيكاوس Azzeddunia weddin Caicaus.

(et Rocneddunia weddin Klidsj Arslan)

وركن الدنيا والدين قلج ارسلان et Ala-

وعلا الدنيا والدين كيقباد eddunia weddin Caicobad

بنو كيخسرو (*) رابقو امر ابيهم filii Caichosru mandatum patris sui mutuo confecerunt.

§. 3.

Seldsjucidarum Aleppi et Damasci numi nulli adhuc innotuerunt. Cudi tamen eos fecisse e Barhebraei

*) In alio exemplari legere mihi visus sum: رابقو امانة foedus mutuo confirmarunt.





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0133
DFG

hebraei relatione: *Moinum* (معين الدين) Vezirium Modsjireddini imperatori Conrado pro relinquenda Damasci obsidione 200000 aereos inauratos dolo soluisse, veri simillimum est.

§. 4.

Proprium est numo Caichosru fil. Caikobad *Iconii* a. 642. Chr. 1244. (*Adler* n. LIIX.) excuso, quod verba *tam* بسم الله الرحمن الرحيم *in nomine Dei clementis, benigni*, quam بسم امير المومنين *in nomine principis fidelium* in eo occurrant.

§. 5.

Numi *Ortocidarum* Maredini, Hesn Caifae et Amidae; nec non *Atabekorum Iraci* s. *Zengidarum* Mosulae et Aleppi residentium, non modo Chalifarum Abbasidarum et dynastarum nominibus; sed et imaginibus insigniti, et omnes adhuc in apricum prolati aerei sunt. Quos inter numi Nureddini Muh. dynastae Hesn Caifae et Amidae titulis hyperbolicis ملك الامراء *rex Emirorum*, عين العدل *oculus iustitiae*, عماد الدين *columna religionis*, نصر الامام *praesidium chalifae*,

*fae*, caeteros antecellunt. (*Adler* n. LXXIII. LXXIV.)

§. 6.

Translata Chalifarum Bagdadensium ad dynastas, qui ad arbitrium suum omnia administrabant, auctoritate, Chalifae ad captandam eorum beneuolentiam, in ipsorum inauguratione splendidis eos titulis mactarunt. Qui quidem tituli initio rari, Semanidis primum tributi, sub Buidis et subsequentibus tyrannis in dies in numerum excreuerunt, maximo tamen vsui tyrannis erant, quo plebi Chalifis deditae fucum facerent.

§. 7.

Quum omnes iconismis praediti numi imperantibus Atabecis s. Zengidis et Ortocidis, vt §. 5. iam proposui, editi fuerint, operae pretium erit in caussas miri istius facti data opera inquirere.

*De numis imagines exhibentibus disquisitio.*

Muhammedanos imagines plus quam vatiniano odio semper prosecutos esse, et adhuc prosequi, ne idolatris, contra quos Muhammedi in Alcorano perpetuum bellum est, similes fiant, res est apud

apud omnes peruulgata. Prostant tamen numi arabicis titulis, principum Muhammedanorum nominibus, et omnis generis imaginibus signati, qui hanc opinionem infirmare videantur. Hinc magni nominis viri, *Reiskius*, *Eichhornius* et praecipue *Adlerus* hos numos hominum, animalium, monstrorum, geniorum *rel.* effigiebus ornatos Turcis neophytis s. Seldsjucidis, qui Asiam minorem, Syriam aliasque prouincias imperio suo adiunxerant, vel eam ob saussam attribuendos esse nulli dubitarunt, quod eorum principes, origine barbari, religionis praecepta subtilius haud quaererent.

Quae quidem assertio magnam prae se fert veri speciem, praesertim quum numi laudati seriem principum Ortocidarum et Atabecorum, qui ad Seldsjucidarum familiam pertinent, sistant, quae studio factam hanc numorum percussuram euincunt.

Quibus tamen non obstantibus speciosissimis rationibus, quo minus iis acquiescam, quae in medium prolaturus sum, faciunt argumenta:

1) Turcas in aula principum muhammedanorum educatos, et ad summos dignitatis gradus euectos eodem, ac ipsos ortu muhammedanos odio con-

contra imagines imbutos fuisse ac flagrasse dubitari nequit, quum ad hodiernum diem earum infensissimi hostes sint. Quod sane aliter cecidisset, si maioribus suis, quorum morum tenacissimi sunt, iis in numis suis vti, in more positum fuisset. Quin eo dudum eo processit eorum religiosa circumspectio, vt symbolum et versus Alcorani a suis numis exulare iusserint, ne impuris manibus contrectentur. Pari modo Mogulenses, de quibus idem ac de Turcis, quod barbari, nec probi Muhammedani fuerint, praedicari posset, in numis suis nullas imagines admittebant. Concedi quidem potest, vnum alterumque eorum principum gulae et libidini deditum, et intacti religione animi virum fuisse, cui vnum et idem esse videbatur; siue meris titulis, siue imaginibus numi signarentur, cautione tamen opus erat, ne rebus nouis studentes in vitae discrimen incurrerent.

2) Quum Sultan Gaiatsoddin b. Kaicobad Seldsjukidarum Iconii dynasta dissolutus, amore coniugis, principis Georgiae filiae captus, eius imaginem numis imprimere vellet, consilium imprimendi eius horoscopum, nimirum solem in signo leonis consistentem ei dabatur, quod prudens

dens probauit. *) Nam signorum zodiaci repraesentatio vetita non est, vt globus coelestis Borgianus a cl. *Assemani* in peculiari opere Patauii 1790. 4. illustratus euictum dat. Hinc intelligitur, rem minime certam et exploratam esse, quod ab auctoribus Turcis hi numi hominum imaginibus referti originem ducant.

3. Numi aurei et argentei, quos ipsi Seldsjucidae cudi curarunt, imaginibus prorsus carebant, meris titulis insigniti, vt numi L — LIX. apud *Adlerum*, Iconii et Siwasi annis 617 — 656. Chr. 1220 — 1256. cusi satis superque probant. Ex quo clarum fit, hunc morem iconibus suos numos onerandi minime apud eos, sed apud clientes suos christianos obtinuisse, quippe quibus integrum erat prius, quam ullius imperio subiecti erant, imaginibus numos suos exornare. Concesso autem ipsis a dynastis iure cudendi numos, ea quidem sub conditione, vt dominorum nomina summi dominii testificandi caussa iis inscriberent, arbitrio eorum relictum erat, vt infra capite VI. de numis cuficis a Christianis signatis, adductis exemplis ostendam, vtrum more antiquo imaginibus

*) Abulpharagius in hist. dynast. p. 487 et 319.

Cf. Jos. Eckhel in doctrina numorum P. I. Vol. III pag. 285.

bus, fidei symbolis, emblematibus *rel.* an solis argumentis tam lingua arabica, quam patria aut peregrina conceptis numos signaturi essent. Muhammedani enim numis aliorum populorum vti non vetabantur, vt ex historia Chalifarum discimus, qui persicos et Byzantinos imaginibus praeditos numos confidenter admittebant. Ex hoc itaque fonte varii et insolentes icunculi in numis arabicis v. c. centauri, aquilae bicipites, elephanti, cygni, pisces, capita coronis, tiaris, pileis Europaeis circumdata, equitum, hominum tam stantium, quam sedentium figurae et id genus alia, graecorum ingenio digna, et ab orientalium moribus prorsus abludentia, profluxisse videntur.

4. *Bar Hebraeus* in Chron. ad a. Christi 696. *) disertis verbis testatur, Arabes post hunc annum numos aureos, argenteos et aereos *meris titulis*, *sine imaginibus* cudi inchoasse.

5. Edictum Pontificis Innocentii IV. christianos a cudendis numis supra laudatis, sub poena excommunicationis auocandi, hactenus expositis fidem optime facit. Iuuat adscribere ea, quae in *Odorici*

*) Pag. 117. ed. Brunsii V. C. et Elementale meum syriacum p. 59. n. 19.

*rici Raynaldi* continuatione annalium ecclesiasticorum Baronii ad annum MCCLIII. §. 52. Tom. XIII. p. 635. sq. super hac re consignata leguntur: „§. 52. Exasperant sane diuini numinis iustissimas „iras immania orientalium christianorum scelera, „quos Mahometica labes non parum infecerat, cum „in nummis Ptolemaide vel Tripoli percussis exe„crandum Mahometis nomen insculperent, vel „annos etiam infelicissimi illius natalis ritu Sarace„nico signarent, non inani praesagio illas vrbes a „Mahomedanis deletum iri, quorum superstitio„nem imitari videbantur. Tantum nefas Tuscula„nus episcopus sedis Apostolicae legatus poenis „ecclesiasticis tollere conatus est, cuius sententiam „Pontifex dato ad ipsum diplomate sua mox aucto„ritate corroborauit:

„Transmissa nobis insinuatione monstrasti, „quod cum tibi liquido constitisset, quod in *bi„sanciis* et *drachmis*, quae in Acconensi et Tripo„litana ciuitatibus fiebant, a Christianis nomen „Machometi, ac annorum a natiuitate ipsius nu„merus sculpebantur, tu in omnes illos, qui nomen „et numerum ipsa in iisdem bisanciis et dragmis, „siue in auro, siue in argento sculperent de caetero,

„vel

„vel sculpi facerent in regno Hierosolymitano, „principatu Antiocheno, ac comitatu Tripolitano, „excommunicationis sententiam promulgasti; „quare petiisti, vt eamdem sententiam robur face- „remus firmitatis debitum obtinere. Nos igitur „attendentes non solum indignum esse, sed etiam „abominabile huiusmodi blasphemum nomen tam „solenni memoriae commendare, mandamus qua- „tenus sententiam ipsam facias auctoritate nostra, „sublato appellationis obstaculo, inuiolabiliter ob- „seruari. Dat. Perusii XI. id. Febr. anno X. "

Quum numi imaginibus ornati, siue sint recusi siue conflati, adhuc cogniti, quos forte rectius ad numismata retuleris, seculo XIII p. C. N. quo hoc edictum promulgatum fuit, et Abulpharagius floruit, cusi, et officinae monetariae in manibus Christianorum, qui modo victores, modo victi existebant, fuerint, facile intelligitur, qui factum sit, vt si vincerent, in gratiam subditorum suorum Muhammedanorum, et ad mercaturam exercendam, quaestusque gratia, his numis cudendis operam darent; si vero vincerentur, tam iussu nouorum dominorum, quam proprio marte ad gratiam eorum his numorum titulis exorbitantibus in-

## Aliam eiusdem commatis bullam Clementis IV. ter- de anno 1266. ven. Münter in scripto: Om Frankernes Mynter i Orienten. Copenhagen 1806. pagg. 50 in A. p. exhibuit. F. Millin Magasin encyclop. T. II. p. 137, anni 1808.

terdum insignitorum illecebris, conciliandam, tanquam munuscula honoraria *), eiusmodi numos, qui, quod mireris, ad vnum omnes aerei et parui pretii sunt, excogitarent.

## Cap. IV.

### De titulis numorum Mogulorum

(أمراء المغول)

### §. 1.

Posteaquam Hulaku Kan, cui Mogulorum imperator *Mangu Kân* summam imperii in expeditione contra Chalifam Bagdadensem commiserat, expugnato Bagdado, interfectoque Chalifa, imperium

*) Quae obseruatio, vt in transcursu attingam, in controuersia de numis Samaritanis, in omnes partes valet. Quum enim Samaritani, apud Kircherum in Oedipo T. II. p. 90. se argentum signasse, ipsi profiteantur, aequum omnino est, vt numi, qui scriptura huic genti propria insigniti prostant, et genuini reputantur, siue meris adulatoriis titulis ornati, siue bilingues sint, non modo in signum clientelae, sed et ad demulcendos principes victores Iudaeos, vel sine delectu vllo, vel hoc

Dschengiskan electus fuit anno Chr. 1206. posito regnauit annos 22.
Oktai Kan eius filius ei successit — 1226. — — 13.
Gajuk Kan eius fil. — — 1242 — — 3.
Mongaka Kaan frat. Maagu-kan, ne pos Dzingiskan ei successit — 1251 — 1259 — 13.
(مونكاكا قاان)

rium orientalium chalifarum funditus deleuerat, vltro regium insigne sumsit, et dynastiam fundauit, quae ab anno 651. Chr. 1253. ad 736. Chr. 1335. durauit.

§. 2.

Successores eius imperium adepti sunt:

2. Abaka Kan ابـاقـا قـاان بن هولاكو a. 664 Chr. 1265.
3. Ahmed احـمـد — — 673 — 1274.
4. Argun ارغـون — — 683 — 1284.
5. Caichtu كيبخـتو — — 690 — 1291.
6. Baidu بـيـدو — — 694 — 1294.
7. Gazan Muhammed غـازان محـمـد — — eodem anno.
8. Ga-

posito discrimine iis assignentur, vt numi scriptura phoenicia et graeco-phoenicia gaudentes, nimirum Iohannis Hyrcani, Antigoni et Ionathanis, solis clientibus et subditis phoeniciis, caeteri autem Samaritanis adscribantur. Eamdem originem habere numos bilingues Seleucidarum phoenicio-graecos, nominibus regum Syro-Macedonum praeditos, res est omnibus manifesta. Atque ex hoc fonte mira in his numis obuia symbolorum varietas, quae vni genti propria esse nequit, manauit, quod quaelibet ciuitas sua insignia suis numis imprimebat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0144
DFG

8. Gaiathoddin Chodabende Muhammed Giabtu غیاث الدین خدابنده محمد کابتو — 703 Chr. 1303.

9. Sultan Abusaid Behader Chan سلطان ابو سعید بهادر خان — — 716 — 1316.

Quo a. 736. Chr. 1335. mortuo, optimatum factum est dissidium, cuius exitus erat, vt Mogolorum imperium in Timurlenci potestatem veniret.

§. 2.

Numi sub hac dynastia cusi, a subditis tam christianis, quam muhammedanis obsequii testificandi caussa originem ducunt, vt tituli eorum, puta: Symbolum fidei, Muhammedis, et quatuor priorum chalifarum nomina extra aleam ponunt. Nam omnem fidem excedit, eos, vtpote gentiles, in numis suis nomen Mohammedis, addito voto pro eius felicitate, cuius regnum et vicarios ad nihilum redegerant, in patriae religionis contemtum mentionem iniecisse, nisi subditorum tam Schütarum, quam Sunnitarum, qui hos quatuor chalifas admit-

 tunt,

tunt, animos demulcendorum gratia, se id fecisse acute prospicias, siquidem plerique horum numorum, quos vidi, bilingues, scil. *vel* arabico-mongolici, *vel* arabico-Armenici sunt. Sed numi ipsi bilingues, formula: *in nomine Patris et Filii et spiritus sancti Dei vnius*, (بسم الاب والابن وروح القدس الله واحد) pro supra allata institutae ab ipsis subditis numorum percussurae sententia militant. Quicquid sit, numi praesertim argentei singulari opera et artificio perfecti sunt.

In numo *Abaka kân*, praeter symbolum cum voto: صلي الله عليه *propitius ei sit Deus*, occurrit titulus; بادشاه عالم *Autocrator mundi*, et ايلخان *imperator*. (Adleri n. LXXX.)

§. 4.

Tertii dynastae Ahmed numum bilinguem vidi huius tenoris:

I. Area quadrata:

لا اله الا الله — non est Deus, nisi
محمد رسول الله — Deus. Muhammed legatus Dei.

Margo

Margo

ضرب سنة احدي وثمانين وستماية

Cusus a. 681 Chr. 1282.

II. Area quinque habet lineas, quarum quatuor priores scripturam Mogolorum, *Mandschu* dictam, et quidem easdem seruant dictiones ac *Adleri* numus CXV, si paucas excipias in litteris varietates; quinta vero nomen احمد *Ahmed* arabicis litteris exaratum continet.

§. 5.

A. Alius argenteus bilinguis sexti post Hulagum dynastae, *Gazani Chan*, qui primus ad Islamismum transiit, haec habet:

I. *Area:*

الله

لا الـــه الا — Non est Deus nisi Deus

(ضرب تبريز) — (*cusus Tabrizi*)

محمد — Muhammed

رسول الله — legatus Dei.

*Circa aream:*

صلي الله عليه — propitius ei sit Deus.

*Margo:* سنة سبعة ماية a. 700 Chr. 1300.

II. *Area* sex lineas complectitur, inscriptione Mogolica praeditas, tertia excepta, quae nomen seruat: غازان محمد *Gazan Muhammed.* *)

Eidem tribuendus videtur numus Goettingensis n. 55. in cuius *Aduersa* symbolum, et ad IV. areae latera, nomina IV. priorum chalifarum cernuntur; in *Auersa* autem legitur:

السلطان (الغازان l. الغازي) محمد خلد الله ملكه ودولته *Sultan victoriosus (l. Gazan) Muhammed, cuius regnum et imperium Deus immortalitati tradat!* (Si de lectione dictionis الغازي *Gazi* i. e. *victor*, constet, est elegans ad nomen eius غازان *Gazan* allusio.)

§. 6.

C. Numus Chodabendeh, qui quoque bilinguis est, et a nemine adhuc ex toto explicatus et descriptus est, haec complectitur:

I. a,

*) Numus 57. Goettingensis huic numo, vt ouum ouo simillimus est. Sed quum ibi dicatur, Teflisi eum cusum esse, et quatuor Chalifarum nomina interiori margine continere, quae a nostro absunt, diuersi typi statuendus est. Numus 58 Goetting. cuius Aversa الغازان قاان Gazan Kan habet, eidem dynastae competere videtur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0148
DFG

I. a, in area

لا اله الا الله Non est Deus nisi Deus.

محمد Muhammed

رسول الله legatus Dei.

علي ولي الله Ali successor Dei (s. successor Muhammedis legitimus a Deo constitutus)

b) ad tria area latera:

بسم الله الكريم In nomine Dei munifici.

c) Margo. Nomina XII Imamorum *)

II. a) Area

ضرب في cusus

ايام دولة المولي diebus imperii domini

السلطان الاعظم مالك فارس Sultani potentissimi, Regis Persiae,

الامام وكابتو سلطان غياث Imami et Giabbtu Sultani Gaiats



*) Herbelot itaque sub v. Algiaptu, praeeuntibus historicis Arabicis recte monet, hunc principem omnium primum nomina XII. Imamorum numis suis insculpenda curasse. In caussa forte est, quod ad exemplum Almamuni Chalifae, Alim legitimum Muhammedis successorem reputaret. Sed hoc imprudens factum exitio dynastiae eius fuisse videtur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0149
DFG

الدنيا والدين خدابنده محمد Eddunia weeddin Chodabendeh Mohammed, cuius

خلد الله perenne reddat Deus

ملكه regnum!

b) superne ad dextram:

لله الامر من قبل ومن بعد Verba sex priora e Sura XXX, 4.

c) superne ad sinistram: *duae voces Mogolicae.*

d) Inferne:

ضرب بغداد سنة عشر وسبعماية *cusus Bagdadi a. 710. Chr. 1310.* *)

## §. 7.

Vltimi quoque Principis huius dynastiae numus aureus heic ex modo allatis caussis describi meretur.

I. Area:

الله Deus

لا اله الا الله Non est Deus, nisi Deus. Muhammed

محمد الله

*) Assemani n. CVI. CVII. coll. Tychsenii Tab. III. n. XXVI.

رسول الله legatus Dei.

ابوبكر Abubeker

عمر علي Ali Omar

عثمان Othman

Areae limbus artificiose formatus est e dictione بسم *in nomine*, cuius duae litterae priores arcum aperiunt, et vltima claudit, quae quoque prima est dictio tituli Alcoranici ~~H. 131. vel 178.~~ V, 80.

الله هو السميع العليم in nomine Dei auscultantis et cognoscentis.

II. Area:

ضرب cusus

في ايام دولة السلطان diebus imperii Sultani

الاعظم ابو سعيد potentissimi Abusaid,

خلد الله ملكه cuius regnum Deus perpetuum reddat.

Ad tria areae inferiora latera:

نعمه الرب الله prosperitatem eius augeat Deus!

*Margo:*

ضرب بغداد في سنة cusus Bagdadi anno

تسع عشر وسبعماية 719 Chr. 1349. *)



*) Tychsen Tab. III. n. 28. 29. Adler n. LXXXII. ~~Assemani n. CVI.~~

§. 8.

Alius minoris moduli argenteus hac praeditus erat inscriptione:

I. area quadrata

الله

لا اله الا الله Non est Deus, nisi Deus.

محمد Muhammed est

رسول الله legatus Dei.

Margo: *IV Chalifae.*

II. area: tres lineae litteris mandschuanis repletae, quas duae excipiunt arabice scriptae:

فخر الله gloria Dei

حسن Hassan.

Numus forte referendus est ad Hassan Kutschuk b. Timurtasch, qui Abusaidii belli dux fuerat, et propriam fundauerat dynastiam.

§. 9.

Subiungo tandem numum trilinguem argenteum:

I. Area

العالم sapiens

السلطان المالكى Sultan Rex (Almalec.)

المالكى

ضرب Cusus (*locus et aera ob numi paruitatem absunt.*)

duae lineae scripturae *Mandschu*

Margo: IV Chalifae.

II. Area quadrata solam continet armenicam inscriptionem.

§. 10.

Numi post solutum Mogulorum imperium, a regulis, qui ceu fungi nascebantur et decrescebant, editi, titulos nouos et memoratu dignos non habent. Contra vero iis insculpta saepe cernimus nomina dominorum, et monetae loca, de quibus historici et Geographi nullam omnino mittunt vocem. Quorum cl. *Tychsen* tab. III. n. 30—41. et tab. IV. n. 42—49. imaginem aere repraesentauit, in minori Tartaria v. c. num. 42. *Azouiae* (ازاق) a. 763. Chr. 1361. n. 46. *Serai algedida* (سراي الجديدة) a. 782. Chr. 1380. quae ciuitas ad ~~Volgae~~ Tanais ostium sita erat, et in aliis huius regionis locis obscuris conflati fuerunt.



Quod

Quod ad eorum scripturam adtinet, modo cufica, modo neschiana est, vt n. 7. (in cuius antica parte السلطان المعظم *Sultan augustus* extat) nec non n. 42. 43. 45. 46. 49. 56. 60. 63. magis tamen ad orthographiae, quam ad calligraphiae leges perfecta est, vt necessum non sit, iis longius immorari.

## Cap. V.

### *De titulis numorum chalifarum occidentalium.*

#### §. 1.

de numis Aglabitarum, (بنو الاغلب).

Aglabitarum dynastia, ab *Ibrahimo fil. Aglab* a. 184. Chr. 800. fundata, regiam sedem in ciuitate Kairwan fixit. Quum paullo ante *Edris f. Abdallah*, exsuto chalifarum Abbasidarum iugo, regnum in Mauritania occuparet, eiusque successores cum Aglabitis de principatu, varia fortuna continuo contenderent, modo in solio collocati, modo deturbati, vix caueri potuit, quin in definiendis annis, quo quisque imperium auspicatus sit, multum inter se discordent Arabum historici. Quibus itaque tenebris dispellendis maximo et vnico vsui esse possunt

sunt numi ab Aglabitis procusi, (nam Numi Edrisiorum et Aglabitarum nulli adhuc publicati fuerunt,) quos ill. Archiepiscopus ALPHONSUS AIROLDI aeri insculptos *Codici diplomatico Siciliae sub imperio Arabum*, inseruit. Multum quidem disputatum fuit, sintne hi numi genuini, an fictitii; meo tamen iudicio argumenta pro eorum fallaci conditione allata magis ex opinione, quam rei veritate depromta esse videntur. Doctissimus enim Praesul ad numos, quos ipse possidet, prouocat, et ne ullus adhuc in medium prolatus fuit numus, qui rem controuersam decernere valeat. Praeterea mente vix concipi potest, dari homines tantam habentes impudentiam, nedum dementiam, vt integram seriem numorum inclytae dynastiae, de cuius principibus dubium nullum est, quin pecuniam signauerint, confingerent, timore haud perciti, quod in sempiternum eorum dedecus numi genuini tandem in lucem proferrentur.

Ven. *Adlerus* quidem l. c. num. LXXXIV. numum exhibuit sequentem, quem Aglabitarum dynastae *Ziadatallah* adscribere nullus dubitauit:

I. A. لا اله الا الله وحده Non est Deus, nisi Deus vnicus,

محمد رسول

مسرور *Mesrur*

لا شريك له cui socius non est.

*Margo:* بسم الله ضرب هذا الدرهم بالبكة سنة تسع ومايتين *In* nomine Dei cuditur hic Dirhem *Meccae* a. 209. Chr. 824.

II. B. علي *Ali*

محمد رسول Muhammed legatus

الله مما امر به الامير Dei. Iussu (*Chalifae*). Emir

زيادة الله بن ابرهيم Ziadat allah filius Ibrahim.

زيادة الله *Ziadat Allah.*

*Margo:* Sura LXI, 9.

Verum enim vero, si vel hic numus Dynastae Aglabitae *Ziadat Allah* nomine praeditus dicatur, nihil omnino probat, quod iussu Almamunis, cuius quoque typum exacte repraesentat, quum titulo honoris *Ziadat Allah* et *Emiri* eum ornaret, cusus videri queat. Exemplis itaque numorum Ziadatallah in ipsa regia Kairwan aut Rakad cusorum opus est, quibus spuria Airoldianorum numorum conditio confirmetur, ne indicta caussa

et

et ipsi numi et eorum possessor condemnentur? Quid plura? Numus Borgianus ab *Adlero* p. 130 sq. descriptus, nullo modo supra dicto Aglabitae tribui potest. Nam:

1) Monetae locus est *Eecca* (ءكّ Sura III, 89.) i. e. *Mecca* in Arabia felici.

2) *Almamun* chalifa *Muhammedem fil Ibrahim f. Ziad* (زياد) teste Abulfeda T. II. 113. sq. cum exercitu in Arabiae peninsulam a. 203. Chr. 818. ad seditionem reprimendam ablegauerat. Rebus feliciter gestis, aliquot annos post, Chalifa Arabiam felicem iure beneficiario, vt meritum praemium ei concessit. Quo inaugurationis actu Praenomine *Ziadat Allah* ominis forte et Paronomasiae gratia, quod e Ziaditarum familia, quae in Iemen adhuc floret, erat, et titulo Emiri pro more ornatus fuisse videtur. Clientelam hanc probat ipsa formula in numo adhibita: *iussu* seu *permissu sc. Chalifae*, de qua pag. 66. verba feci.

3) Non modo typus ad Almamuni typi similitudinem accedit, sed et varia in ipsa inscriptione adsunt, quae qua voluntate in *Alim*, quartum post Muhammed Chalifam fuerit Chalipha, et ipse quoque dynasta, haud obscure produnt. Nam dictio-

dictiones in *Aversa* علي زيادة الله *Ali adpendix Dei*, quae Vezirium, cuius nomen مسرور *Mesrur* in *Aduersa* iam adest, minime indigitant, idem innuunt ac formula a Schütis introducta: علي ولي الله *Ali pedisseqnus Dei*, quae in Mostanseri, quinti chalifae Fatemidae denario a. 479. Chr. 1047. eum in area situm, ac in nostro habet. (*Adleri* n. XCVI.)

Nam 1, in numis formula صبا امر به praeditis, solum clientis et vezirii nomen occurrit. Hinc

2) quum Vezirii مسرور *Mesrur* nomen (Elmacin p. 117.) in *Aduersa* adsit, laudatae dictiones pro nominibus propriis sumi nequeunt, sed pro appellatiuis sumendi sunt.

3) Ziadatallae I. ex fratre nepos, qui titulo Ziadatallae II, quum a. 249. thronum conscenderet, ornabatur, *neque* nomen *Ali* habebat, neque a. 209. vt videtur, natus erat. Vt taceam, mirum videri, Ziadatallam nepotis ex fratre nomen in numo suo collocasse, quum fratres, eius successores, adhuc in viuis essent. Quibus ferente ita occasione praelibatis, pauca de ipsis numis Airoldianis ex instituti ratione disserere licebit.

Dupli-

Duplicis hi numi sunt generis. *Alii* scriptura, quae simile quiddam cum neschiana Maurica habet, et cifris; *alii* cufica et numeris, qui integris dictionibus expressi sunt, gaudent. Inficias quidem non eo, numos *), quos primo loco nominaui, magnam mihi initio attulisse dubitationem, quam tamen mihi sustulit virorum summorum et ipsius inclyti Possessoris mihi data de eorum existentia et vera conditione fides, quam labefactare velle, idem mihi est, ac solis motum ad horologiorum Rostochiensium fidem componere velle. Nam vbi rerum adsunt testimonia, non opus est argutiis, sed solo oculorum iudicio. Quicquid sit, in Airoldium, qui arabicam linguam non callet, fraudis vel minima suspicio non cadit. Tituli horum numorum absoluuntur partim symbolo, nomine Principis, loci et anni nota, partim commatibus Alcorani LXI, 9. et Sura 112.

§. 2.

*) Aere hi numi minus accurate expressi sunt, vt aureus Moezzinus Tomo II. Part. II. pag. 216. cod. diplom. insertus comprobat.

## §. 2.

### De titulis numorum Fatemidarum in Africa et Hispania.

Postquam *Almohdi Abu Muhammed Obeidallah* (المهدي ابو محمد عبيد الله) vnus e posteris Ali et Fatimah filiae Muhammedis, potestatem opibus et copiis confirmatam in Africa septentrionali consecutus erat, titulum Chalifae a. 296. Chr. 908. sibi adscripsit, et sedem in vrbe Mahadiah, quam ipse condiderat, collocauit. Successores eius erant:

2. Kaiem beamrillah
القايم بامر الله — 322 Chr. 933.

3. Almansur billah
المنصور بالله — 334 — 945.

4. Moez ledinillah ابو تميم
معد المعز لدين الله 362 — 972.
Expugnata a. 362. Aegypto, et condita Alkahirah regiam eam elegit.

5. Aziz ledinillah
العزيز لدين الله — 365 — 975.

6. Hakem beamrillah
الحاكم بامر الله 386 — 996.

7. Dha-

[illegible] Tischlermei[illegible]

Wie befindest du dich?

0 11(2|3|□1

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0161
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0162
DFG

7. Dhaher leazaz dinillah
الظاهر لاعزاز دين الله 411 — 1020.
8. Mostanser billah ابو
تميم معد المستنصر بالله 427 — 1035.
9. Mostali billah
المستعلي بالله 487 — 1094.
10. Amer beahcamillah الامر باحكام
الله ابو علي المنصور 495 — 1101.
11. Hafedh ledinillah
الحافظ لدين الله 524 — 1129.
12. Dhafer beamrillah
الظافر بامر الله — 544 — 1149.
13. Faiez benasrillah
الغايز بنصر الله — 549 — 1154.
14. Adhed ledinillah
العضد لدين الله — — 556 — 1160.

Quo a. 567. Chr. 1171. mortuo, *Salahoddin fil. Ayub.* Chalifam Bagdadensem legitimum Muhammedis successorem declarans, dynastiam Ayubitarum in Aegypto fundauit.

1) Trium primorum dynastiae Fatemidarum Principum *Obeidallah, Kaiem beamrilla et Almansor billah* numi aurei et argentei Tomo II. Codi-

cis diplomatici inserti, *Rakadi* et *Kairwanae* signati, symbolum, Suram LXI, 9. principis nomen, et aeram exhibent.

2. *Almoez ledinillah titulos* consuetos: *symbolum, Suram 61, 9. locum, aeram, et Chalifae nomen*, in tres orbes in vtraque numi parte ductos (cf. p. 12.) auxit sequentibus titulis:

a) دعاء الامام معد لتوحيد الاله الصمد *Inuitatio Imami Maad ad vnitatem Dei aeterni.*

b) وعلي افضل الوصيين واخير (*) خير المرسلين *et Ali est praestantissimus mandatariorum, et optimus optimi legatorum.* (*Adler* n. XCIV. *Assemani* n. LXXXIV. *Airoldi* Tom. II. Part. II. p. 216.)

3) In *Almansoris* Abu Ali Beahcamillah numis area vnius partis continet nomen chalifae, et alterius partis area titulum عال غالب *illutsris victor* seruat, et pro بسم الله *in nomine Dei*, plene

*) In Msto. Makrizii extat: وعزيز et validus, (v. supra p. 13.) sed veriorem lectionem واخبر et peritissimus, aut potius واخير et optimus, ectypon numi Naniani a cl. Assemani mecum communicatum mihi commonstrauit.

plene scriptum cernitur: بسم الله الرحمن الرحيم ضرب *in nomine Dei misericordissimi cuditur* rel. (*Assemani* n. XXXII. sq. *Adler* n. XCIX.)

4) *Dhaher* titulum: عبد الله وولیه *seruus Dei et eius vicarius*, *) nomini suo praeposuit, quod etiam Dhafer imitatus est. (*Adler* n. XCV. et C. **).



*) Duo haec nomina عبدالله وولیه alludere possunt ad Muhammedem et Ali, quorum Imâmi erant Alidae. Nam Muhammed non modo filius Abdallae, sed primus Muslimorum erat, qui Abdallah s. Cultor Dei salutari poterat, et Ali vicarius Dei apud Fatemidas audiebat. Hinc vertere mallem verba: امام عبد الله وولیه Antistes cultoris et vicarii Dei (i. e. Muhammedis et Ali). Quam meam coniecturam confirmat denarius Mostanseri apud Adlerum n. XCVI. in cuius area I. titulus Chalifae, vt decet, post Muhammedem cultorem Dei et vicarium eius sequitur. cf. supra de numo meo pag. 64. exposita.

**) In denario Dhaferi Alexandriae a. 545. Chr. 1150. (Adler n. C.) duo nomina, quae his similia sunt, et aream in Aduersa aperiunt et claudunt, sic mihi legenda esse videntur: عال غانه illustris opibus suis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0165
DFG

## §. 3.

## De titulis numorum Almoravidarum (المرابطين).

*Almorabetharum* dynastia tam in Africa quam Hispania potentissima, quinque habuit principes:

1. Abubeker ابوبكر بن عمر 448 Chr. 1056*)
2. Iusuf يوسف بن تاشفين 480 — 1087.
3. Abul Hassan Ali f. Iusuf علي بن يوسف — 500 — 1106.
4. Taschefin f. Ali تاشفين 535 — 1140.
5. Ishak f. Taschefin اسحق 539 — 1145,

quicum a. 541. Chr. 1140. dynastia finem habuit.

Conditor huius dynastiae sententiam Alcorani Surae III, 78. elegit prorsus nouam, quam ad marginem posticae partis reiecit, Chalifae Fatemidae titulum dignitatis امير المومنين الامام عبد الله *Imâm* (antistes) *Abdallah* (serui Dei s. Muhammedis,) *Imperator fidelium*, suppresso chalifae nomine, in area II. collocans:

وَمَن يَبْتَغِ غَيْرَ ٱلْإِسْلَٰمِ دِينًا فَلَن يُقْبَلَ
مِنْهُ وَهُوَ فِي ٱلْآخِرَةِ مِنَ ٱلْخَٰسِرِينَ ۝

(1 Cor. 1, 18.) τοῖς ἀπολλυμένοις Qui

*) Vitam posuit, vt refert Muhammed b. Abdelhalim in egregia sua Mauritaniae historia, anno 480. Chr. 1087.

*Qui vero aliam praeter Islamismum sectatur religionem, minime ab eo (Deo) acceptabitur, sed in nouissimis iacturam salutis faciet.*

1) Numum sub eo *Sedsjelmessae* (سجلماسة) a. 472. Chr. 1079. cusum *Adlerus* n. LXXXV. dedit.

2) Successoris *Iusuf b. Taschefin* aureos *Agmat* (اغمات) a. 494. Chr. 1099. signatos *Hoest* tab. XXXIII. n. 4. (*Hispali* a. 516. Chr. 1122. cusos *Aurivillius* tab. IV. n. 7.) repraesentauit. * pertinet ad Ali b. Taschefin.

3) *Ali b. Taschefin* numus *Almeriae* (المرية) a. 525. Chr. 1130. et alius, in quo nomen eius filii *Taschefin* haeredis regni (ولي عهد), nomini Patris additus fuit, *Fessae* (فاس) anno (عام) 535. Chr. 1140. editi, apud *Adlerum* n. LXXXVI. et LXXXVII. extant. Qui numus *Fessae* eodem, quo pater decessit, anno conflatus, in postica parte, Chalifam Abbasidam Abdallae s. Muhammedis legitimum successorem profitetur: الامام العباسي عبد الله امير المومنين *Imâm Abbasida Abdallae, princeps fidelium.* Praeterea pro: *Bismillah*, integra formula initialis بسم الله الرحمن الرحيم in numo expressa fuit, verbis Surae III, 78. صدق الله verax est Deus praemissa.

Asseruo *aereum*, qui huic forte principi tribuendus erit:

I. A. لا اله الا الله Non est Deus, nisi Deus.

محمد رسول الله Muhammed est legatus Dei

*Margo:* Surah IX, 33.

بسم الله ضرب هذا الدرهم بالاندلس اذ اندلس

II. A. امير المسلمين princeps Orthodoxorum

علي بن يوسف Ali filius Iusuf.

*Margo:*

بسم الله ضرب هذا الدرهم بالاندلس سنة . . .

*In nomine Dei cuditur hic Dirhem Andalusiae anno. . . .*

Alius penes me est aereus nitidus, cuius *Aduersa* symbolo, vt in praecedenti, et Sura LXI. 9. praedita est. *Areae* partis posticae tria verba tribus lineis inscripta sunt: امير المسلمين علي *Princeps fidelium Ali*, et in margine admodum detrito tantum apparent verba ضرب هذا الدرهم اثنتين عشرين وخمسمايه ..... ن.. *cusus hic Dirhem* (Andalusiae) *a.* 5~~02~~20 *Chr.* 10~~73~~55. Dubio vix caret, quin ad eumdem Moravidarum principem Ali b. Iusuf Taschefin pertineat. *)

4. Nu-

*) Numuli, quos Hispani Maravedi nominant, ab his Morabethis nomen suum traxisse videntur.

4. Numus *Taschefini b. Ali* (vid. Hoest l. c. n. 3.) *Lamtae* (لمطة) a. 538. Chr. 1143. cusus, nomen العباسي, quod mireris, non habet, sed in omnibus cum praecedentibus conspirat.

5. Est mihi aureus (Tab. I. n. IX.) *Murciae* (مرسية) a. 544. Chr. 1149. sub Emiro Muhammed b. Saed (سعيد) qui Murciae, Valentiae *rel.* praeerat, conflatus, qui Almoravidarum numis ex asse respondet:

I.

الله

لا اله الا الله — Non est Deus, nisi Deus.

محمد رسول الله — Muhammed est legatus Dei

الامير محمد — Emir Muhammed

ابن سعيد — filius Saed.

Margo e Sura III, 78.

II.

الامام — Imam

عبد — Abd

الله — Allae,

امير المومنين — princeps fidelium.

*Margo:*

بسم الله ضرب هذا الدينار بمرسية سنة اربع واربعين وخمسماية

*In nomine Dei cusus est hic denarius Murciae a. 544. Chr. 1149.*

## §. 4.

### De titulis numorum Almowahedinorum s. Almohaditarum.

Dynastia Almowahedinorum (s. unitariorum الدولة الموحدة) ab *Almohdi ben Tomrut* e posteris Ali, postquam Marocco expugnato regnum Almorauidarum deleuerat, a. 515. Chr. 1116. vsque ad 668. Chr. 1269. durauit. Successores in imperio habuit:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Abu Mohammed Abdolmumen | عبد المومن | — | — | 524 Chr. 1149. |
| Iusuf I. | يوسف | — | — | 558 — 1163. |
| Iakub | يعقوب | — | — | 580 — 1184. |
| Abdallah Muhammed | عبد الله محمد | — | | 595 — 1199. |
| Iusuf II. | يوسف | — | — | 610 — 1214. |
| Abdol Wahed | عبد الواحد | | | 620 — 1223. |
| Al-Adel | العدل | — | — | 621 — 1224. |
| Iahia | يحيي | — | — | eod. |

Alma-

Almamun Edris

المامون ادريس — eod.

Raschid رشيد — — 629 — 1231.

Ali علي — — — 640 — 1242.

Omar عمر — — — eod.

Edris Alwathek ادريس الواثق 665 — 1266.

qui a Marinis (بني مرين) regno orbatus a. 668. Chr. 1269. obiit.

Numi sub hac dynastia cusi maximam partem formae quadratae, et scriptura cursiua praediti sunt, aera tamen et loco, paucos si excipias adhuc cognitos, carent. Ex decem enim, quos possideo, duo tantum monetae loca فاس et مرسيه *Fessa* et *Mursia*, (Tab. II. n. 27.) et vnus apud *Adlerum* Parte I. Musei Cuf. pag. 98. تونس *Tuneti*, et alius formae rotundae Parte II. n. XC. aeram et locum obscurum exhibent.

2. Titulorum rhytmis conceptorum duplex ratio est.

a) Qui nomen principis Almohdi sistunt, ita audiunt:

I. لَا اِلٰهَ اِلَّا اللّٰهُ Non est Deus, nisi Deus

الامر

أَلْأَمْرُ كُلُّهُ لِلّٰهِ Imperium omne Deo (Sura III, 148.)

لَا قُوَّةَ إِلَّا بِاللّٰهِ Non est potentia nisi in Deo

II. أَللّٰهُ رَبُّنَا Deus est dominus noster.

مُحَمَّدٌ رَسُولُنَا Muhammed est apostolus noster.

أَلْمَهْدِي إِمَامُنَا Almohdi *) est antistes noster.

(Pro المهدي in quibusdam venit أَلْقُرْآنُ *Alcoranus*, vel nomen principis v. c. *Raschid* apud *Adlerum* n. XC.)

b) Qui

*) Est forte hoc principis nomen etiam allusio ad eiusdem nominis XIImum Imamum ex Ali familia. Quoniam Almamun siue Edris, deleto Mohaditarum imperio, nomen Almohdi teste Ibn Alcatib apud Casirium T. II. p. 223. e typo sustulit, monetae pristinam (rotundam) formam restituens, forte nomen القرآن Alcoranus, in quibusdam numis conspicuum, eius loco prius substituit, quam monetae pristinam formam redderet.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0172
DFG

b) Qui successorum eius nomen prae se ferunt, ita sonant:

*vel* I. أَلْحَمْدُ لِلَّهِ laus Deo

رَبِّ domino

ٱلْعَالَمِينَ creaturarum. (Sura I, 2.)

*vel* I. لَا حَقَّ وَلَا Nulla est veritas, nec

قُوَّةَ إِلَّا potentia, nisi

بِاللَّهِ in Deo.

(Specimina vide apud *Adlerum* n. 89. 90.)

§. 5.

Numi a Dynastis *Zeiriorum* (بنو زيري), *Hammeditarum* (بنو حمود), *Marinorum* (مريني) cusi nulli adhuc innotuerunt, licet dubium mihi non est, quin officinas monetarias habuerint. De *Edrisiis* aqua quoque mihi haeret. Quemadmodum autem conditor huius dynastiae, vt refert *ben Kartas*, occupata vrbe Telemsan, templum ibi exstrui, et hac inscriptione in sui nominis

minis memoriam ornari curauerat, بسم الله الرحمن الرحيم هذا مما امربه الامام ادريس بن عبد الله بن حسن بن حسين بن علي رضي الله عنهم وذلك في شهر صفر سنة اربع وسبعين ومايتة

h. e. *In nomine Dei hoc (templum) iussu Imâmi Edris fil. Abdallah fil. Hassan fil. Hossein fil. Ali, quibus Deus bene velit, mense Sefer anno 174. Chr. 790. extructum fuit;* ita ad fidem pronius est, eum quoque gloriae amplificandae et posteris commendandae gratia, itemque ad exemplum aliorum principum, ius cudendi numos exercuisse. Verum enim vero numi nondum eruti sunt, e quibus coniecturae argumentum ducere liceat. Hoc tamen non obstat, vt denarium, quem possideo, litteris sic dictis Karmathicis mira arte formatis inscriptum, satis antiquum, (Tab. II. n. 15.) principi cuidam ex hac Scheriforum familia tribuam, hac praecipue ductus ratione, quod et ratione magnitudinis, et sententiarum alcoranicarum multitudinis, cum Scheriforum, qui seculo XVI. Mauritaniam expugnauerunt, aureis exacte concordet, quodque credibile sit, Scherifos aetate poste-

posteriores, antiquorum Scheriforum denarios imitando expressisse. Quicquid sit, haud abs re erit, titulos numi rarissimi heic transscribere, liberum eruditis relinquens iudicium, ad quam Scheriphorum, siue antiquam siue recentiorem dynastiam iure quodam sit referendus.

I. Area quadrata:

أَلْمُلْكُ لِلَّهِ Regnum est Deo.

أَلْحَمْدُ لِلَّهِ Laus est Deo,

وَالشُّكْرُ لِلَّهِ et retributio est Deo.

Margo ad IV quadrati latera:

بسم الله الرحمن الرحيم | صلي الله علي سيدنا | محمد لا اله الا الله | محمد رسول الله

*In nomine Dei misericordissimi. Propitius sit Deus domino nostro Muhammed. Non est Deus praeter Deum. Muhammed est legatus Dei.*

II. Area quadrata:

أَلْعَظَمَةُ لِلَّهِ Maiestas est Deo.

والقدرة

وَالْقُدْرَةُ لِلّٰهِ Omnipotentia quoque est Deo,

وَلَا قُوَّةَ إِلَّا بِاللّٰهِ nec robur, nisi in Deo est.

Margo:

لا اله الا هو | الرحمن الرحيم | والهكم | الواحد

*Non est Deus, nisi ipse ille misericordissimus, et Deus vester est unicus.*

§. 6.

Numi Hafsitarum.

Eiusdem quidem moduli, sed scriptura Neschiana praediti sunt aurei Dynastarum *Abu-Hafs*, (بني ابو هفص) qui *Tuneti* sedem ab a. 603. Chr. 1206. habuerunt. Exemplum in numophylacio *Adleriano* Berolini reperitur:

I. Area quadrata:

الواحد الله Vnicus est Deus

محمد رسول الله Muh. est legatus Dei.

المهدي خليفة الله *Almohdi* *) est Chalifa Dei.

*Margo:*

*) Nomen Almohdi, forte XII. Imami ex Ali familia, in his numis Hafsitarum occurrens, iure quidem suo sibi

*Margo:*

بسم الله الرحمن الرحيم In nomine Dei misericordissimi.

صلي الله علي سيدنا محمد Benedicat Deus domino nostro Muh.

وعلي اله وسلم الواحد الهكم et eius familiae, pacemque Det! Vnicus est Deus vester;

ولا اله الا هو الرحمن الرحيم Non enim est Deus, nisi ipse miserator misericors.

II. Area quadrata:

ابو زكريا يحيي Abu Zachariah Iahia

بن ابي محمد filius Abu Muhammed

بن ابي حفص nepos Abu Hafs.

*Margo:*

المحامد في سبيل الله laudabilis in semita Dei

الامير الاحد ابو Princeps incomparabilis l. *vnius* scil. *Dei*, Abu

اسحق

sibi vindicare videtur omnes quadratae formae numos, quibus principis Almohaditarum nomen non inscriptum fuit. Ad minimum numi Tuneti cusi, (Mus. cuf. Borg. T. I. pag. 98.) Hafsitis reddendi erunt,

اسحق ابراهيم Ishak Ibrahim,
بن الامير الاحد fil. principis incomparabilis l. *vnius* sc. *Dei*.

Abu Ishak Ibrahim fil. Abu Zachariah Iahia, anno 678. Chr. 1279. imperium obtinuit. In egregio meo MS. quod historiam Hafsitarum complectitur, plenus eius titulus audit:

الامير ابو اسحق بن الامير ابي زكريا
ابن الملك ابي محمد بن الشيخ
ابي حفص

## §. 7.

### Numi dynastarum Hispaniae.

Arabes expugnata a. XCIV. Chr. 712. Hispania, statim propriam monetam in Hispania condidisse, numus Nanianus LII. Andalusiae a. 100. Chr. 719. signatus, vt ex extypo gypseo mecum beneuole communicato explorate cognoscitur, extra aleam ponit. Qui quidem numi tam ante, quam sub Abdorrahman I. qui a. 138. Chr. 755. Chalifa salutatus, Ommiadarum imperium ab Abbasidis in Asia occupatum in Hispania restituit, atque sub septem eius successoribus *Hescham*, *Hakem*, *Abder-*

*Abderrahman II. Mohammed, Mondir, Abdallah* et Abderrahman III. procusi, vt supra pag. 59. monui, sola aera et loco ab ommiadicis orientalibus diuersi erant.

Sed post Abderrahman III. fil. Muhammed *), qui titulo *Chalifae* et *Emir Elmumenin* nominari voluit, caput CXII, in numis amplius non adhibebatur, numis vel ad Abbasidarum similitudinem accedentibus, *vel* varias pro cuiusque reguli ingenio et arbitrio formas induentibus, quae adeo inter se variant, et a pristina saepe quorundam bonitate et elegantia recedunt, vt vix eorum argumenta expiscari, difficulterque, cui regulo, qui numero multi extiterunt, sint tribuendi, diiudicare liceat. Post hunc annum in aliis vrbibus pecuniam signarunt.

Numi praefectorum et priorum Chalifarum, qui Cordubae residebant (بالاندلس *Andalusiae* **),

 vsque

*) Numus Bodleianus a Wise in catal. num. Bodl. p. 312. descriptus, et sub Abdorrahman III. editus, quem Gagnierius Alexandriae a. 310. Chr. 922. cusum asserit, Andalusiam patriam dubio procul agnoscit.

**) Quoniam Arabes hoc nomine Hispaniam indigitabant, vox مدينة metropolis Hispaniae, h. e. Corduba, quae gubernatorum et Chalifarum sedes erat, sub-

vsque ad annum 407. Chr. 1016. vt videtur, cusi sunt. Aureos, iis exceptis, quos Almoravidae in variis Hispaniae officinis, et Nasarini excudi curarunt, nullos videre mihi contigit.

Quum in Museis cuficis Borgianis Tomo II. et Nanianis pauci extent numi Maurorum Hispaniae loco et aera insigniti, eos e mea collectione seligam, qui integri, et memoratu digni, et anecdoti sunt.

A. *Numi cusi sub Chalifa Hescham Almuaied billah*, (هشام المويد بالله) qui ab anno 366 -- 399. Chr. 976 -- 1008. regnauit:

1) *Argenteus:* (Tab. I. n. XIII.)

I. A. لا اله الا الله وحده لا شريك له Non est Deus, nisi Deus vnicus, cui similis non est.

*Margo:* بسم الله ضرب هذا الدرهم بالاندلس سنه سبعين وثلثماية

In

subintelligenda est. Similiter Panormum nominabatur مدينة صقلية metropolis Siciliae. cf. Elementale meum Arabicum p. 59. l. 13. 61. l. 7.

In nomine Dei cusus est hic Dirhem *Andalusiae* a. 370. Chr. 980.

II. A. ∴

الامام هشام Imam Heschâm
امير المومنين princeps fidelium
المويد بالله Almuaied billah.
~~عامل aut~~ عامر ~~Amel aut~~ Amer.

Margo e Sura IX, 33.

2) *Aereus* eiusdem Heschami

I. A. vt numus praec. nisi quod علي Ali supra symbolum stet.

Margo: - - cusus Andalusiae سنة خمس وتسعين و.. a. (3)75. Chr. 988.

II. A. عماد الدولة Amâdoddaula
الامام هشام Imam Heschâm
المويد بالله Almuaied billah.
احمد Ahmed.

*Margo:* Sura IX, 33.

3) *Argenteus* eiusdem Heschami

I. A. Symbolum vt n. 1. et infra احمد *Ahmed.*

*Margo:* cusus Andalusiae سنة تسعين وثلث... a. 390 Chr. 999.

D A علي
لا اله الا
الله وحده
لا شريك له
عبد الله
بطلينه سنة تسعو ثلثين -

I 3 B. وفد الى
الامام هشام
امير المومنين
الدوله
Margo Surah IX, 33.
penes de Rühl Dresdae 1812.

II. A.

II. A. الحاجب Prorex
الامام هشام Imam Heschâm
امير المومنين Princeps fidelium
المويد بالله Almuaied billah.
عبيد Obeid.

Margo e Sura IX, 33.

4) *Argenteus* Heschami Almuaied billah *).

I. A. المنصور Almansur.

*Circulus interior:* لا اله الا الله وحده لا شريك له محمد *non est Deus, nisi Deus vnicus, qui aequalem non habet. Muhammed.* (Reliqua spatii angustia respuit.)

*Circulus exterior:* بسم الله ضرب هذا الدرهم بلنسية سنة ست واربعين واربع ماية *In Nomine Dei cuditur hic dirhem Valentiae a. 446. Chr. 1054.*

II. A. المنصور Almansur.
احمد Ahmed.

*Cir-*

*) Heschâmus chalifarum Ommiadum in Hispania vltimus in numis meis semper cognomine المويد, minime المعتمد, vt historici volunt, venit.

*Circulus interior:* الامام هشام المويد بالله امير المومنين *Imâm Heschâm Almuaied billah princeps fidelium.*

*Circulus exterior* complectitur Suram IX, 33. vsque ad verba: علي الد..

B. Numi variorum regulorum Hispaniae.

5) *Argenteus:*

I. A. ابن Ebn (*filius*)
لا اله الا Non est Deus, nisi
الله وحده Deus vnicus.
اغلب Aglab. (Primae voci iungenda efficit ابن اغلب *Aglabitam*).

*Margo:* بسم الله ضرب هذا الدرهم بلنسية سنة تسع وخمسين وار... *In nomine Dei cuditur hic Dirhem Valentiae a. 459. Chr. 1066.*

II. A. ✡
المامون Almamun
ذو المنصور Dhul-Mansur.
✡

Margo: Sura IX, 33. vsque ad كله.

6) *Argenteus:*

I. A. المنصور Almansur
لا اله الا Non est Deus, nisi
الله وحده Deus vnicus,
لا شريك له cui similis non est.

Margo fere oblitteratus.

II. A. ابن Ebn (filius)
المنصور Almansur
الامام امير Imam princeps.
المومنين fidelium.
اغلب Aglab.

7) *Argenteus.*

I. A. Symbolum, et sub eo سليمان Sulimân.

*Margo:* بسم الله ضرب هذا الدرهم ببلينة سنة ست وسبعين واربعماية *In nomine Dei cuditur hic Dirhem Balinae a. 476. Chr. 1083.*

II. A. الحاجب Prorex.
عماد الدولة Amâdoddaulah,
محمد رسول الله Muhammed legatus Dei.
مندر Monder.

Margo e Sura IX, 33.

Numi

Numi eadem inscriptione praediti, sed diuersi typi, et بطليوسة annis 474. 475. 476. cusi, sex in meis scriniis reconduntur. Forte haec loca male sculpta *Valentiam* indigitant.

8) *Aereus:*

I. Symbolum, sub quo محمد *Muhammed.*

*Margo:* cusus *Andalusiae* ... سنة ثلث وار, *anno* 403. Chr. 1012.

II. A.

| | |
|---|---|
| الامير | Emir |
| الامام محمد | Imam Muhammed |
| امير المومنين | princeps fidelium |
| المهدي بالله | Almohdi billah |
| ابـو | Abu. (*Quae vox iungenda est superiori* الامير, et محمد *in antica parte:* الامير ابو محمد). |

Margo e Sura IX, 33.

Alium aereum eodem loco et anno cusum, diuersi tamen typi possideo, qui argenteo apud *Adlerum* n. CIV. similis est, cuius vltima *Aversae* dictio pessime expressa, forte eadem, ac in modo laudato est; quae vero, quum in *Aduersa* duae crucis figurae loco nominis extent, sensu in hoc *Adleri* numo caret.

9) *Aereus* nitide expressus:

I. A. لا اله الا الله وحده Non est Deus, nisi Deus vnicus.

*Margo:* ... بمدينة طليطلة سنة ... وسبعين اربع مائة *in vrbe Toleto a.* 47.

II. A. القادر بالله *Alkader billah*, qui a. 478. 1085. Toleti imperium iniit, et ab Alphonso pulsus finiit.

*Margo* e Sura IX, 33.

10) *Aereus.*

I. A. Symbolum.

II. A. علي Ali
محمد Muhammed
رسول legatus
الله Dei.
بن حبيب filius Habib.

11) *Aereus.*

I. A. Sub symbolo عمر *Omar.*

II. A. محمد Muhammed
رسول legatus
الله Dei.
عبد الرحمن Abderrahman.

12)

12) *Aereus.*

I. A. Symbolum.

*Margo.* ..الله ضرب هذا الفلس سنة ...اربعين و (In nomine) *Dei cuditur hic Fuls anno ..40.*

II. A. محمد Muhammed
رسول legatus
الله Dei.
علي Ali.

Margo: مما امر به الامير ادريس ... امر بالعدل والوفاء *Iussu* (scil. Chalifae). *Princeps Edris iubet iustitiam et complementum* (ponderis s. probi valoris monetam.) Memoratu digna vel eam ob caussam est haec epigraphe, quod cum ea, quam de numo Abdallae f. Zobair (pag. 4.) protulit Macrizius, concordet, et vnica adhuc sit. Obiter annoto, quod vltimae litterae *Dal* nominis Muhammed duae palmae impositae sint. (Tab. II. n. 26.)

13) *Aereus* scriptura cursiua: (Tab. II. n. 30.)

I. طبع signatus est

بغرناطا

بغرناطه Granatae
عام anno
II. احد vno
وثمنين et octogesimo
وثمانماية et octingentesimo. Chr. 1476.

Alium eiusdem anni, sed typi diuersi numum meis annumero.

C. Dynastiae *Beni Nasar* (بنو نصر) principes, Granatae sedem habentes, aureos cudi fecerunt Scherifinis quoad modulum et scripturam Neschianam simillimos *). En eorum specimen quod apud me extat:

A. Area quadrata e Sura III, 25.

قل اللهم مالك الملك Dic: o Deus, Possessor imperii,
تؤتي الملك من تشاء reddis, regnum, cui vis,
وتنزع الملك ممن تشاء aufers regnum, cui vis,
وتعز

*) Ibn Alcathib apud Casirium T. II. p. 239. eorum aureos et argenteos optimae notae fuisse autor est (وصرفهم فضة خالصة وذهب ابريز محفوظ لا تفضل سكتهم سكة)

وتعز من تشا وتذل et exaltas, quem vis, et humilias

من تشا بيدك الخير quem vis. In manu tua optimum est.

*Margo:*

بسم الله الرحمن الرحيم In nomini Dei misericordissimi

صلي الله علي سيدنا محمد propitius sit Deus domino nostro Muh.

والهكم اله واحد Deus autem vester est Deus vnicus.

لا اله الا هو الرحمن الرحيم Non est Deus, nisi ipse miserator misericors.

B. Area quadrata:

الامير عبد الله يوسف Princeps Abdallah Iussuf.

ابن امير المسلمين ابي filius principis fidelium, Abul-

الوليد اسماعيل Walid Ismail.

ابن فرج بن نصر ايده fil. Faradsj fil. Nassr, quem adiuuet

الله واسعده Deus, et suffulciat.

*Margo:* ولا عالي الا الله Non est excelsus, nisi Deus.

*Qua-*

*Quater repetita in segmentis haec sententia exstat.*

Hic *Iussuf fil. Abul-Walid Ismail, nepos Faradsj et abnepos Nassri* regnauit ab a. 733 — 750. Chr. 1333 — 1352.

## Cap. IV.

### De numis cusicis a Christianis conflatis.

Numi antiquiores arabici a christianis cusi in varias dispesci possunt classes:

1) Numi principum christianorum, qui in clientelam Tatarorum aut Mogulorum recepti erant, *vel* mere arabici, *sine, aut cum clientis nomine, vel* bilingues, *vel* trilingues sunt.

a. Ad *primam classem* pertinent omnes praediti marginibus et nominibus principum Ortocidarum et Atabekorum s. Zengidarum numi, a quibus clientis christiani nomen abest.

b. *Alteram classem* constituunt numi dynastae et clientis nomina exhibentes v. c. numi Georgiani, quibus in *Aduersa* nomina Chorazmiae dynastae الملك الملوك جلال الدنيا والدين *Rex Regum Dsjelal eddunia waddin* Mancberni, et prin-

principis Georgiae, eius clientis, l. كيورگى بن تامر *Georgius f Tamar*, l. eius sororis رسدان *Rusudan*, l. eius filii نارا بن كيوركي *Nara f. Georgi*, additis eorum nominibus epithetis: *vel* ناظر المسيح *oculus Christi*, *vel* ظهير المسيح *adiutor Christi*; in *Aversa* autem litteris Georgicis eorum nomina *rel.* inscripta visuntur. Numus arabico-Armenus *Sisi* a. 637. Chr. 1244. exhibet in *Aduersa* Sultani *Cai-Chosru* Seldsjucidarum dynastae nomen, et in *Auersa* Regem Armeniae equo insidentem, cum epigraphe armenica: *Hetom rex Armenorum.* Vide Mus. Cuf. Borg. T. I. n. C. Extat in numophylacio *Dieziano.* Huc quoque spectare videtur aereus arabico-graecus apud *Adlerum* n. CXVI. nomine Amadoddin fil. Muhammed (عماد الدين بن محمد) et MANOYHA *rel.* insignitus.

c. Ad *tertiam classem* pertinent numi bilingues et trilingues arabico-Mogolici, et arabico-Mogolico-armenici, qui a principibus vasallis cusi, supra p. 100. sq. recensiti fuerunt. Numus p. 100. allatus, in cuius *Aduersa*, *formula*: *in nomine Patris Filii et spiritus S.* et in *Auersa* inscriptio mogolica est, apud Adlerum n. CXV. extat.

II. Numi

II. Numi arabici a Principibus Christianis pleno iure regnantibus signati, *vel* meris titulis arabicis veniunt, *vel* bilingues arabico-graeci, et latini sunt.

a. Primus omnium numos adhuc cognitos arabicos, et bilingues arabico-graecos, imaginibus praeditos, *vel* mercaturae, *vel* subditorum Arabum caussa cudi curauit Imperator Graecorum Leo IV. Chazares, qui anno Christi 775—780. imperium tenuit. In musei cuf. Borg. T. II. n. CV—CX. aere expressi sunt. In *Arabicis*, in *antica parte* circa Leonis IV. effigiem extant nomina محمد *Muhammed*, et خازار *Chazar*; in *Auersa* crucis, et, vt videtur, campanae suspensae figura cum dictione محمد. n. CX. circa crucem aut Signum, verba arabica peruerse insculpta, hunc in modum legenda esse videntur: بسم الله هذا امن ويتعمد *in nomine Dei hic (qui) credit, et baptizabitur.*

*Arabico-graeci* praeter imagines *Leonis*, monetae locum دمشق *Damascum* arabice et graece ostendunt. Alios huic tribuendos, effigie et cruce, et symbolo praeditos, numos videre est in Mus. cuf. Borg. T. I. n. XLVI—LI. Mus. cuf.

cuf. Nan. n. XLI. XLII. C. CI. Numus 4. tab. X. apud *Niebuhr* in قنسرين *Kennesrin* cusus fuit. Ei similem *Halebi* editum possideo. Omnes hi numi aerei sunt.

*Constantini VI. Porphyrogennetae*, qui a. Chr. 780 — 799. regnauit, aureus arabico-latinus, anno 798 cusus, symbolum: لا اله الا الله محمد رسول الله et: ...STANTINVS RX AN XCVIII. seruat.

2) Subiugatis Mauris Siciliae, *Robertus Guiscard* et *Rogerius* fratres gente Normanni, varii moduli et metalli numos ad vsus subditorum seculo XII. cudi fecerunt. Qui sola gaudent inscriptione arabica, in *Aduersae* area habent symbolum, *vel* لا اله الا الله محمد رسول الله non est praeter Deum Deus, Muh. est leg. Dei; *vel:* لا اله الا الله وحده لاشريك له non est *Deus nisi* Deus vnicus, cui consors *non est;* in *Auersae* area, *vel* solum crucis signum, *vel* circa crucem رجار اميير النصارى *Rogerius Princeps* Normannorum, *vel* رجار المعظم *Rogerius augustus*, *vel* ناصر النصرانية *Defensor Christianismi*, ad marginem aera et loco ablegatis.

*Bilingues* eius arabico graeci *), in *Antica* seruant crucis figuram cum epigraphe: IC. XP. NIKA *Iesus Christus vincit;* in *Postica* vero parte: المعتز بالله الملك رجار المعظم *Suffultus Deo Rex Roger augustus.*

Numi arabici et bilingues arabico-graeci et latini Successorum غليلم Guilielmi I et II^di^ (الثاني) et تنقريد Tancredi, tam مدينة صقلية *Metropoli Siciliae* s. Panormi, quam مسعنة *Messanae* cusi, nihil peculiare habent, nisi quod *in alio* Guilielmi II. numo, imago Virginis Mariae cum Iesu Infante, *in alio* caput leonis, *in alio* denique palma fructifera adpareant. (Mus. Cuf. l. c. n. LXIV—LXXXV.)

3) Sub Imperio *Alfonsi VIII. fil. Sanctii III.* qui a. 1158—1214. regnauit, numos ara-

*) Me plane fugit, an Rogerius quoque ediderit bilIngues arabico-latinos. Qui enim in Musei cuf. Borgiani T. I. n. LXXIII et LXXIV. ei tribuuntur, nomen ipsius fratris Roberti Guiscard (الملك ربارت نار Regis Ribart Normanni) tam arabicum, quam latinum clare exhibent, et Panormi forte cusi sunt, quam vrbem et Messanam, tradita fratri Rogerio Sicilia, sibi reseruauerat. Roberti et Rogerii numulos ab exc. principe Turris Mutii mecum communicatos tab. V. n. 51. et n. 52. expressi.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0194
DFG

arabicos signatos fuisse, numi eius aurei Toleti annis 1185—1192. cusi, et a *Lastanosa*, *Adlero* et *Assemani* propositi, abunde testantur. Aera excepta, quae Hispanica est, XXXVIII. annos ante C. N. initium capiens, quamque Arabes صفر (*Zifra*) *) appellant, eosdem fere habent titulos, qui vero notatu dignissimi sunt. Exemplum sistit Tab. V. n. 50. cuius ectypon cl. *Pizzi* ad me misit, cum Borgiano numo LXXXIX fere concordans:

I. Area. Figura crucis, sub qua:

ALF. امام الشيعة المسيحية بابه رومي
*Antistes Ecclesiae Christianae, Papa Romanus.*
ALF. (Alfonsus.)

*Margo:* بسم الله الاب والابن والروح القدوس الاله الواحد من امن وتعمد يكن سالما *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti Dei vnius. Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluabitur.* (Marci XVI, 16.)



*) De hac aera ex instituto disputaui in libello: Beurtheilung der Iahrzahlen, Rostochii 1786. 8. pag. 20.

II. A. امير القتولیقین الفنس بن سنجه ایده الله ونصره *Princeps Catholicorum Alfonsus filius Sanctii, quem Deus corroboret et adiuuet.*

*Margo:* ضرب هذا الدينار بمدينة طليطلة سنة تسعة وعشرين وماينين والف بالصر *cusus* hic Denarius in vrbe Talitala (Toleti) anno 1229. aerae Safarensis Chr. 1191. *)

4) *Reges Georgiae* numos arabicos cudendos curasse testimonium praebet numus Georgii IV. in Commentationibus Goetting. tab. IV. n. 65. prolatus, et ab Adlero l. c. pag. 178. recte explicatus, in cuius *Aduersa* princeps coronatus sedens, manu sinistra accipitrem tenet; in *Aversa* autem haec leguntur: ملك الملوك كيوركي بن ديمطري هسلم المسيح *Rex Regum Georgius filius Demetrii, gladius Christi.*

Cap.

*) In Cl. Assemani globo coelesti cufico Arabico. Patauii 1790. 4. praefat. pag. 10. sq. de hoc numo vberius verba feci.

# Cap. VII.

## De vitris, titulo arabico instructis.

### §. 1.

Primus, quod sciam, de massis vitreis pellucidis, quibus litterae arabicae, impressae conspiciuntur, mentionem fecit, et vnam ligno incisam repraesentauit *Domenicus Schiavo* in diss. inserta b. Principis Turris Mutii *Le antiche Iscrizioni di Palermo* 1782. fol. pag. 410. Ad verba enim: *e non ci mancano delle paste di Vetro*, haec annotauit:

„*Di queste paste di vetro con lettere ara-*
„*biche ne sono repieni tutti i nostri Musei di*
„*Palermo, e degli altri luoghi di Sicilia. Avremo*
„*forse occasione altra volta distesamente descri-*
„*vere l'uso di esse, e come furono ancora abbrac-*
„*ciate, e poste in practica da' Normanni, e da'*
„*successori Monarchi, contentandomi per adesso*
„*di pubblicarne questo solo per exemplare.* (Epigraphe erat symbolum: لا اله الا الله محمد رسول الله).

Duplicis ratione epigraphes generis sunt. In *Aliis* enim ab vna, in *aliis* autem ab vtraque parte

tituli adparent. Magnitudine et coloribus, qui albi, virides, subvirides, rubri, subrubri, caerulei et varii sunt, admodum differunt.

§. 2.

Ad titulos istorum vitrorum quod attinet, *alia* tantummodo symbolum expressum habent, quale est modo laudatum, et aliud subviridis coloris, quod liberalitati exc. Equitis et Senatoris Veneti Iac. Nani debeo; *alia* vero exhibent nomina Chalifarum Fatemidarum Egypti v. c. n. CXIX. apud *Assemanum:*

مما امربه الامام العزيز بالله امير المومنين *iussu Imami Alaziz billah principis fidelium.* In vitro LIX. Mus. Cuf. Borg. Tom. I. legitur in antica parte: الحاكم بامر الله *Hakem beamrillah*; in postica parte: لا اله الا الله محمد رسول الله علي ولي الله *non est Deus, nisi Deus, Muhammed est legatus Dei, Ali est vicarius Dei.* Antiquissimum vitrum in Museo Airoldiano est, cuius *Aduersa* symbolum Schütarum, vt in Hakemi vitro; *Aversa* vero القايم بامر الله امير المومنين *Kaiem beamrillah princeps fidelium*, habent.

Pa

Patriam Aegyptum haec vitra agnoscere mihi videntur:

1) Quod chalifarum Fatemidarum nomina in fronte gerant.

2) Quod in vitro (Tab. III. n. 68.) et num. LX. Mus. cuf. Borg. coll. Tom. II. p. 151. cuius titulus in duas orbes distributus est, nomen منصوريّة in interiori circulo clare legatur: المعز لدين الله بالمنصوريّة *Almoez Ledinillah in Mansuriah*, quae vrbs ad Nilum ab Almansur Billah, patre Almoezzi exstructa fuit. Quum Almoez numos *Mansuriae*, scriptura, vt in vitro, in orbem ducta conflari curauerit (*Adleri* n. XCIV.), de vitro eius nomine signato, dubium nemini esse poterit, quin Aegyptiacae originis sit.

3) Quod omnia Borgiana et Naniana vitra ex Aegypto allata fuerint.

## §. 3.

De vsu horum vitrorum non eadem mens est celeberrimis duumuiris *Adlero* et *Assemani*, *) quorum ille aereorum numorum vicem ea suppleuisse,



*) Museum Cuf. Borgian. P. II. pag. 151. sq. Mus. Cuf. Nani. P. II. p. LXXV. sq.

et per consequens numos fuisse contendit, hic vero pro tesseris militat. Quod quidem sententiarum diuortium facile tolli posset, si modo aereos nullos regnantibus Fatemidis, vel in Aegypto, vel in Sicilia signatos fuisse numos, certo constaret. Sed numus aereus CXIV. in Mus. Cuf. Naniano, in cuius *Aversa* extat: الامام معد ابو تميم المستنصر بالله امير المومنين *Imam Maad Abu Temim Almostanser billah princeps fidelium*, per me licet, siue in Sicilia, siue in Aegypto sit cusus, sententiae, quod vitra, vt numi aerei in vsu fuerint, minime fauere mihi videtur. Si enim in Sicilia cusus sit, quid caussae est, quod tanta vitrorum copia ibi reperiatur? Si vero Aegypto debeat natales, cur *Mansuriae* vitrum supra laudatum, conflatum est? Accedit, quod omnia XXII. Naniana et V. Borgiana (*Mus. Cuf. Borg. Part. I.* p. 97.) vt iam monui, ex Aegypto asportata fuerint. Nec de nihilo est magnitudinis et colorum in his vitris diuersitas, quae neque pecuniae minutae, neque tesseris, (nam iis inscriptum esse debebat, cui vsui erant destinatae,) consentanea esse videtur. Silentium etiam auctorum Arabicorum, inprimis Macrizii, qui data opera rem numariam

Ara-

Arabum pertractauit, maximi omnino momenti et ponderis est.

§. 4.

Mihi quidem aliquid certi de his vitris pronuntiare non licet; tamen, quid de iis sentiam, breuiter exponam.

Vitra mihi videntur fuisse mnemonica, quibus, quum multa id incitamenta haberet, Fatemidae sub imperii et anni auspiciis subditos donare consueuerant, distribuendo cuique pro sua dignitate, maxima, maiora, minora et minima; in qua distributione colorum fortasse ratio quoque habita fuerit, vt v. c. viridia Scherifis; caetera vero colorata aliis subditis, qui colore vestis aut cidaris a se inuicem respectu dignitatis distinguebantur, dono darentur.

§. 5.

Sed nec me habebit repugnantem, qui haec vitra, *vel* ad ornatum vtriusque sexus, quod gemmarum coloribus distinctarum species repraesentatione exprimebant, *vel* ad testificandum debitum Deo aut principi, cuius nomen expressum habebant, obsequium efformata, et commercium iis-

dem factum esse asseueret. *Meo itaque iudicio vitra e numero numorum eximenda, et gemmis socianda sunt.*

## Cap. VIII.

### Singularia quaedam circa numos cuficos.

1) Numi aerei, quibus nomina دينار et درهم *denarii* *) et *drachmae*, inscripta sunt, *tam* ad sumtus minuendos typo denariorum et drachmarum procusi, *quam* ex consulto ad fraudem destinati fuisse videntur; scilicet vt pro auro et argento inauratum et inargentatum aes in continuis suis bellis supponerent. Nam vera moneta aerea nomine فلس *Follis* signabatur, vt aereorum

*) In aerei Naniani CXI. a. 104. omnium antiquissimi Auersa legitur: in nomine Dei cuditur hic denarius (هذا الدينر). cf. aerei Naniani n. II. LIV. XIII. a. 170. n. LX. a. 167. et Mus. Cuf. Borg. P. I. p. 50. sq. et P. II. p. 161. vbi aeneus Andalusiae cusus nomine Dirhem venit. Me tamen non habebit repugnantem, qui aereos interdum typo denariorum aut drachmarum ad sumtus minuendos cusos esse contendat, licet drachmae vocabulum aeri minus congruum erat, ac denarii nomen, quoniam aurum et aes colore ad se inuicem accedunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0202
DFG

rum sub *Aarone Raschido* cusorum, qui hoc nomen seruant, exempla testantur. Illustre talis fraudis exemplum praebet Damasci vice-rex *Moin eddin* (معين الدين), qui anno Chr. 1148. Germanorum Imperatori Conrado III. regi Hierosolymarum Baldwino 200000, et Principi Tiberiados 50000 aereos deauratos, pro denariis, vt narrat *Barhebraeus*; *) ad auertendam, quam vrbi inferre volebant, obsidionem, fraude post festum demum detecta, persoluerat. Cf. Guil. Tyrium in Gestis Dei per Francos T. I. libro XVII. c. 6. Wilken commentatio de bellorum cruciatorum historia p. 91.

Ipse possideo Iosephi Taschefini aereum deauratum, et varios aereos inargentatos, qui typo denariis et drachmis adoptato signati sunt. Hinc eiusmodi aerei curate inspiciendi sunt, an fraudis vestigia in iis adhuc manserint.

II. *Macrizii* relationem, antiquam Chalifarum Bagdadensium monetam iussu quorumdam Aegypti dynastarum circumcisam fuisse, quo pretio eius minuto in vsu esse desineret, multa numorum, quae manibus meis triui, et ipse possideo, corroborant exempla. Numi XII et XIII. Goettingenses margine exteriori truncati, nec non numi quidam *Adleri* Berolinensis supra pag. 17. recensiti, eamdem forte funestam sortem habuerunt,

*) Chronic. p. 334. et Elementale meum Syr. p. 102.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0203
DFG

runt, aut in manibus monetae adulteratorum fuerunt.

III. Me fugit, numquando sub Chalifis numismata in eorum laudes conflata fuerint. Meminit tamen Abulfeda ad a. 377. Chr. 988. mirae magnitudinis numisma aureum, qnod mille Metkal seu ducatos Hollandicos pendebat, quodque Persarum dynastae *Fechroddaulat f. Rocnoddaulat* a Vezirio suo *Saheb f. Abad* sub anni auspiciis oblatum erat, sequentibus quinque versibus laudatiuis et ingeniosis insignitum:

واحمر يحكي الشمس شكلا وصورة
فاوصافها مشتقة من صفاته ،
فان قيل دينار فقد صدق اسمه
وان قيل الف فهو بعض سماته ،
بديع لم يطبع علي الدهر مثله
ولا ضربت اضرابه بسراته ،
وصار الي شاهنشاه انتسابه
علي انه مستصغر العفاته ،
يخبر ان يبقي سنينا كوزنه
لتستبشر لدنيا بطول حياته *

h. e. "*Flauus quidem est* (aureus), *solis formam et faciem referens,*

*Sed*

*Sed laudes eius desumuntur ab eius virtutibus.*
*Quodsi dicatur denarius, omnino nomen suum verificat.*
*Si quoque dicatur mille* *) (denariorum), *quaedam est ex eius notis.*
*Mirabilior eo* (aureus) *nunquam signatus fuit,*
*Neque cusum fuit tale comma in cuiusquam superficie.*
*Transit autem ad Regem Regum, cui conuenit,*
*Ea quidem lege, vt vilior eius incolumitate reputetur.*
*Indicat, annos* (regis) *sicut pondus eius* (M denariorum) *duraturos esse,*
*Quo mundus de longaeuitate eius laetetur.*"

Inter satyrica vero numismata forte referendum erit illud argenteum, quod *Adlerus* l. c. n. XXVIII. protulit, in vtriusque partis area leporis aut cuniculi figuram, et marginibus nomen continens: الامام المقتدر بالله جعفر *Imam Moktader billah Giafar.* Huic vni contigit, vt diis iratis Cha-

*) Paranomasia esse videtur. Nam الف et primam Alphabeti litteram, quae agmen ducit, et mille denotat. Hinc iure optimo Alif s. dux inter denarios dici potuit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0205
DFG

Chalifatum consequutus, ad durfiores casus reseruaretur. Nam saepius de throno deiectus, fugatus et lubibrio suorum expositus, tandemque anno aetatis XXXVIII. Chr. 932. occisus fuit. Quum hoc principe animi angusti et demissi imperante summa imis miscerentur, mirationem non habet, si numo tali eum oblinerent. Quodsi vero in memoriam animalis, *Zabzab* (زبزب, vide *Bocharti* Hieroz. T. I. l. III. c. XXX. p. m. 986.) appellati, quod Bagdadi a. 304. infantes deuorasse dicitur, numisma conflatum fuisset, ad sola numismata esset referendum.

Socium huic numismati et aliud adiungere licebit, apud me extans, et Adleriano incompleto n. LXXI. simillimum, Maredini anno 600. Chr. 1203. conflatum, in cuius area cernimus hominem sternaci equo sine ornatu insidentem, manibus explicatis et lapsui proximum, cum marginali inscriptione: ملك العالم والعادل ناصر الدنيا والدين ارتق ارسلان ملك ديار بكر *Rex sapiens et iustus Naser Eddunia weddin Ortok Arslan rex Diarbekir.* Eiusdem Arslani quoque est numus XCIIX. a. 599. tomo I. mus. cuf. Borgiani aere expressus, in cuius *Auersa* centau-

taurus sagittarius cernitur. Vix crediderim, principem sub monstri figura assentatorie repraesentatum esse, aut repraesentari voluisse. De aliis forte numis figuratis idem iudicare a ratione non abhorrere videtur. Mihi quoque fit verisimile, vt numi symbolo inuerso praediti ad hanc classem pertineant.

IV. Quae in numis antiquioribus obuia sunt Vezirorum et aliorum priuatorum nomina, iis ex meo iudicio ideo inscripta fuerunt, quod suis sumtibus hanc suam monetam Chalifis sub anni natalibus dono, vt mos erat, offerendam cudi fecerint. Quo casu necesse erat, vt largitoris nomen insculperetur. Nomina quidem ordinarie in ima areae I. parte posita erant; *) Flusum tamen sub Raschido cusum possideo, in quo *Giafaris* nomen, non sine caussa, vt videtur, (nam gratia et anctoritate apud principem omnes vincebat,) inter secundam et

*) In Numo Adleri n. XX. sub Raschido a. 196. Chr. 811. munifici largitores Ismail, et in numo Naniano XI. Abbasiae anno CLXXI. cuso (احدي) (سبعين ومئة) vt ex ectypo meo gypseo adparet, Iusuf (يوسف) super ضرب, et in numo Arradsjan a. 340. cuso ad marginem areae I. Ali (علي) positi sunt.

et tertiam symboli lineam *) hoc modo expressum extat:

لا اله الا Non est Deus, nisi
الله وحده Deus vnicus.
جعفر Giafar
لا شريك له cui similis non est.

Hinc coniecturam facere licet, quod numi, a quibus haec nomina absunt, sumtibus ipsorum Chalifarum cusi fuerint.

V. Praefecti monetae quidem erant regni proceres; artifices autem, toreutae et cusores Iudaei et christiani fuisse videntnr, quorum vel peritiae, vel ignorantiae et oscitantiae, siue elegantia, siue foeditas, nec non omissio **), et repetitio (v. *supra d. 120.* et *Adleri* n. LXV.) tribui debet. ***) Inter drach-

*) Eumdem locum occupat nomen Mesrur in Ziadatallae numo LXXXIV. apud Adlerum supra p. 110. recensito.

**) Numus Nanianus LXXX. Rarissime expleuerunt toreutae, quod exciderat. Quod tamen factum esse deprehendi.

***) Hinc in salebras incidunt, qui e litterarum in numis et codicibus figura, nescio quae porismata elicere tentant. De codicibus biblicis hebraicis longe aliter se res habet, siquidem prisco aeuo iam a Thalmudicis lege cautum erat, vt librarii litteras ad praescriptum accurate pingerent. Vid. Tentamen meum de Codd. hebr. pag. 347.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0208
DFG

drachmas Ommiadarum Wasetinae ratione typi primum locum occupant. Denarii eorum, aeque ac Abbasidarum elegantissimi sunt. Ommiadarum Hispaniae drachmae, quibus caput Alcor. CXII. inscriptum est, ex parte titulos pessime expressos exhibent, licet interna eorum bonitas, siue argenti puritas in antiquioribus emineat.

In numis Mogulorum litterae figuram coniformem ex parte habent.

Quidam sub Semanidis et Buidis cusi numi artificium spirant; sed sunt quoque, qui eo prorsus carent, v. c. numus Abdolmalec fil. Nuh, Vti Semanidarum dynastae, *Samarcandae* a. 344. rudi Minerua; *Nassri f. Ahmed*, Waseti a. 308. litteris pinguioribus et nitidis; eiusdem autem *Balchae* a. 314. et Samarcandae 319. cusi pessime sculpti sunt; contra vero Buidae Moezeddaulat Abu Schadsja numus *Schirazi munito* (بالشيراز الاسوار) a. 340. ad elegantiam accedit.

VI. Signa monetalia antiquissima in infima areae parte sunt, *tria puncta* ∴ in numo *Cufae* a. 142; duo puncta (..) in numo *Bagdadi* a. 155. Littera ⊂ in numo *Mohammediae* a. 150.

161.
163. unum punctum

Postero tempore asterisci, circelli et alia signa, quae referre nil attinet, comparent.

VII. In numo *Muhammediae* a. 150. cuso, (Tab. I. n. VI.) ni fallor prima vice, *Aduersae* areae titulus, cum *Auersae* titulo, copula و coniunctus fuit. Idem numi *Alamini* a. 181. *Almamuni* a. 186. 187. 189. 198. conflati conspiciendum praebent.

VIII. Teneo aereum numi *Bedreddini*, Mausulae domini a. 631. Chr. 1233. in cuius area II. dictio امير *studio deleta* visitur. Mos quidem, teste Elmacino p. 125. rebellibus erat, chalifarum aut dynastarum nomina numis et tapetibus amplius haud inscribere; an vero ea quoque in numis iam cusis deleri iusserint, vt videtur, affirmare nequeo.

IX. عام *annus*, pro سنة, quod idem significat, in numis Occidentalium Mauritaniae et Hispaniae interdum occurrit, et in sequioribus denariis, الدينار cum ا quiescenti, itemque in denariis et drachmis recentioribus pro priorum مية *centum*, excepto numo Naniano LII. anni C. qui مايۃ habet, et ميتين *ducenta*, occurrit, مايۃ et مايتين.

XI.

XI. Caussae, cur numi quorundam Chalifarum et dynastarum vel adhuc desiderentur, vel inuentu rarissimi sunt, quum certo certius sit, vnum quemque eorum numos sub regni auspiciis cudi curasse, variae omnino esse possunt. Praecipua vero ea esse videtur, quod qui regno aliquem spoliabant, aut bella cum eo ad internecionem gerebant, in id enitendum esse existimarent, vt dispersos praecessoris et inimicorum numos omni cura corradendo et refundendo vsu et memoria hominum expellerent.

XII. Haud pauci dantur Chalifarum numi, in quibus vel repetiti ictus, vel tentatae fracturae vestigia adparent. Quum soli argentei hanc studio adhibitam vim et iniuriam promiscue acceperint, mercatorum cautio fuisse videtur, qua hos numos exaequando, data occasione, argenti ponderi praeparabant. Numi autem tam aurei, quam argentei et aerei inaurati et inargentati, qui foramine sat amplo praediti sunt, tam ad muliebrem ornatum a Christianis, quam ad vsus Amuletorum a Muhammedanis perforati fuerunt.

XIII. Numis recusis cufica scriptura insignitis annumerandus est numus a *Relando* *) et *Assemani* n. XXXVII. excitatus hac praeditus inscriptione:

I. Area Genius gradiens, in manu tenens tabulam, cui inscriptum: VOTA XXX. Infra: SIS. (*Sciscia* in Pannonia.)

Margo: VICTORIA CONSTANTINI AUG.

(Pogonati).

II. Area:

الملك العالم العادل فخر الدين *Rex sapiens, iustus Fechreddin.*

قرا ارسلان بن داود بن ارتق *Kara Arslan f. Davud f. Ortok.*

Inter numos sub priscis chalifis procusos haud pauci occurrunt pessime exarati, aut nimis leues, quos puto esse limando recusos. Contra vero argentei mihi obuenerunt, quorum litterae superiori sua parte imperfectae, s. concauae erant, quoniam laminas argenteas iusto tenuiores adhibuerant monetarii. Ex hoc numero est numus meus *Herat* a. 206. signatus.

SECTIO

*) De numis Samarit. Diss. V. pag. 167 etc. in tabula marmoribus Puteolanis praefixa.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0212
DFG

# Sectio III.

## *De numis recentioribus Muhammedanorum.*

### Cap. I.

De titulis numorum Marocci scheriforum (شريفون).

§. 1.

Series principum Maroccanorum, qui Scherifi, s. e familia Muhammedis oriundi dicuntur.

1. Ahmed احمد بن
   الحسين — — 926 Chr. 1519.
2. Muhammed محمد بن
   محمد — — 956 — 1549.
3. Abdallah عبد الله بن
   محمد — — 964 — 1556.
4. Muhammed محمد بن
   عبد الله — — 982 — 1574.
5. Abul Abbas Almansur ابو
   العباس المنصور — 998–1012 — 1603.

6. Abul Hassan ابو الحسن — — —
7. Abu Fars ابو فارس 1014 — 1605.
8. Mulei Zidan مولي زيدان 1015 — 1606.
9. Abdelmelec مولي عبد الملك — — 1040 — 1630.
10. Walid الوليد بن زيدان 1044 — 1634.
11. Ahmed Scheigk احمد شيخ بن زيدان — 1056 — 1646.
12. Crüm elhaic كريم الحايك — — 1059 — 1649.
13. Scherif شريف — 1063 — 1652.
14. Muhammed محمد بن شريف — — 1065 — 1654.
15. Raschid رشيد بن شريف 1072 — 1661.
16. Ismail اسماعيل بن شريف 1083 — 1672.
17. Ahmed Dahabi f. Ism. احمد الذهبي — — 1140 — 1727.
18. Abd Elmelec f. Ism. عبد الملك — — 1141 — 1728.
19. Abdallah f. Ism. عبد الله — — 1144 — 1731.
Ali f. Ismail علي — 1147 — 1734.

Muh.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0214
DFG

Muh. Uld Aribah محمد ولد عريبه — 1149 — 1736.

20. Muh. Abdallah f. Ism. محمد عبد الله — — 1171 — 1757.

21. Iezid fil. Abdallah يزيد 1205 — 1790.

§. 2.

Ciuitates monetariae, quae mihi innotuerunt, sunt:

اسفي *Asfi.* Praeponi solet: بتغي *in loco.*

تطوان *Thetuan.*

رباط الفتح *Rabât Elfeth.*

صويرة *Suira.* (Mogodor.)

فاس *Fes*, cui praeponi solet بحصن *in arce.*

مراكش *Meraesch.* (Marocco). Praeponi solet بحصن *in arce.*

مكناس *Mecnês.* (Mequinez.)

§. 3.

Numi antiquiores, praecipue aurei copiosis titulis, qui *vel* solis sententiis alcoranicis, *vel* nominibus propriis et sententiis absoluuntur, praegrauati sunt. In recentioribus, super quos antiquiores

et commatis elegantia et auri bonitate multum eminent, breuitatem adhibuerunt.

I. Ad priorem classem pertinet aureus apud *Hoest* tab. XXXIII. n. 1. et 2.

A. Area quadrata:

الواحد الله Vnus *est* Deus.

محمد رسول الله Muh. *est* legatus Dei.

والقران كلام الله et Alcoranus sermo Dei.

*Margo:*

بسم الله الرحمن الرحيم In nomine Dei misericordissimi

صلي الله علي سيدنا محمد benedicat Deus domino nostro Muh.

واله وسلم اله واحد et familiae eius, et pacem det. *) Deus est vnicus.

لا اله الا هو الرحمن الرحيم Non est Deus, nisi ipse miserator misericors.

B. Area

*) In numo Hoestii 2. pro وسلم et pacem det, legitur: وكبّر et illustrem reddat. In caeteris cum primo numo exacte concordat, nisi quod diuersi typi sit.

B. Area quadrata:

الشكر لله retributio est Deo.
والامر كله لله et imperium omne Deo.
والحول والقوة بالله et potentia et virtus est in Deo.

*Margo e Sura LVII, 3.*

هو الاول والاخر Ille est primus et postremus,
والظاهر والباطن visibilis et occultus
وهو بكل et est in omni
شي عليم re sapiens.

II. Alteram classem constituit 1) aureus apud *Adlerum* XCII, et *Wise* p. 311.

A. Area quadrata

بسم الله الرحمن الرحيم in nomine Dei misericordissimi.
عبد الله الامام Abdallae (s. Muhammedis) Imamus,
ابو فارس ا Abu Fares
لواثق بالله Elwatsek billah
امير المومنين princeps fidelium.

*Margo:*

انما يريد الله ليذهب منكل ارجي اهل البيت *Vtique vult Deus inaurare praefectum*

*coetui familiae domus* s. domesticorum. Ingeniosa est cogitatio, qua subditi donum suum aureum prosecuti sunt.

B. Area quadrata:

الامام امير المومنين Imam, princeps fidelium

ابي العباس المنصور Abul-Abbas Almansur

بن الامامين الخليفاء filius Imamorum Chalifarum

امري المومنين principum fidelium,

الشريف النبوي Scherif propheticus (e prophetae familia.)

*Margo:*

ضرب بحصن مراكس حاطها الله سنة اربعة عشر والف *Cusus in arce Marocci, quam Deus custodiat, a. 1014. Chr. 1605.* *)

2) Huc quoque spectat Ducatus *Mulei Ismail* **) (Tab. II. n. 17.)

A. Area:

*) Duo quidem Lastanosa tab. 44. n. 136. 137. prolati numi ad scherifinos referendi videntur, sed tam negligenter expressi sunt, vt sine errore verum erui nullo pacto possit.

**) Aureus a 1100 Chr. 1688. cusus, cuius mentionem iniicit Tychsen V. C. comm. III. p. 45. itemque argenteus ibidem memoratus in numerum numorum sub Scherifo Ismael cusorum referendi sunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870105515/phys_0218
DFG

A. Area:

لا اله الا Non est Deus, nisi

الله الامر Deus. ~~Imperium negotium~~

كله لله totum (competit) Deo. (Sura III. 148.

Margo: ضرب بحصن فاس حاطها الله عام اربعة وتسعين والف *cusus in castello Fes, quod Deus custodiat, anno 1094.* Chr. 1682.

B. Area:

الله حق Deus est veritas,

ناصر الحق protector veritatis

المبين manifestae.

*Margo:* Sura XI, 90. بسم الله الرحمن الرحيم وما توفيقي الا بالله عليه توكلت واليه انيب

*In nomine Dei misericordissimi. Nec est auxilium meum nisi in Deo, super quo innixus sum, et ad quem me conuerto.*

§. 4.

Recentiores numi his fere sententiis gaudent:

1) لا اله الا الله الامر كله لله *Non est Deus, nisi Deus, imperium omne Dei est.* (In numis *Abdalla Muh.*)

2)

2) الحمد لله رب العالمين *Laus Deo, domino creaturarum.* (Sura 1. 2. In numis *Ahmed Dahabi.*)

3) احد احد vnus, vnus. (In numis Abdallae Muh. *Rabât Elfeth* a. 1189 et 1191. Chr. 1775 et 1777. cusis.)

* A. arg. احد احد 1190
B. ضرب بمراكش.

Marocci 1190. (Lexic. Meninsky T. IV. p. 1. n. 4.*

*Obs.* In his numis argenteis *Rabati*, nec non *Suirae* excusis, aera cifris Christianorum expressa est. Sed in aureo *Mecnes* a. 1192. Chr. 1778. signato, qui meus est, cifrae vsitate obtinent. Tab. VI n. 54. 55. 56. (Numi 54. cifras ex inaduertentia ordine retrogrado incidi.)

4. Numorum argenteorum vncialium Muhammedis Abdallae memoratu dignissimus est is, quem eum in finem cudi fecit, vt eius largitione Turcarum imperatori in bello luctuoso, quod cum Russis gerebat, et sacrum reputabat, subueniret, licet ardenti alias esset auaritia.

I. Sura IX, 34.

والذين Illis autem,
يكنزون الذهب qui thesaurizant aurum
والفضة

والفضة ولا ينفقونها et argentum, nec ea erogant

في سبيل الله pro semita Dei (i. e. pro religione.)

II. قل وقوا ~~die: cauete~~, Itaque gustate

ما كنتم تكنزون ~~ne~~ quod thesaurizastis.

ضرب بتطوان Cusus Tetuan

1195 عام anno 1195. Chr. 1780.

Extat apud *Adlerum* Berolinensem.

Obs. 1. Mauri ق vno puncto; ف autem puncto infra litteram posito pingunt. 2. Monetae opifices christiani et Iudaei sunt, vt ex ore Iudaeorum Maroccanorum audiui.

## Cap. II.

De numorum Turcicorum, Tatarorum Crimensium, et Imamorum Iemenensium titulis.

§. 1.

Osman I. imperii conditor 700 Chr. 1301.

Orchan fil. Osman اورخان بن اثمان — 726 — 1326.

Murad I. مراد بن اورخان 761 — 1360.

Rai-

| | | | |
|---|---|---|---|
| Baiazid I. *) | بايزيد بن مراد | 792 — | 1390. |
| Muhammed I. | محمد بن بايزيد | 813 — | 1410. |
| Murad II. | مراد بن محمد | 825 — | 1422. |
| Muhammed II. | محمد بن مراد | 855 — | 1451. |
| Baiazed II. | بايزيد بن محمد | 886 — | 1481. |
| Selim I. | سليم بن بايزيد | 918 — | 1512. |
| Suliman II. | سليمان بن سليم | 926 — | 1520. |
| Selim II. | سليم بن سليمان | 974 — | 1566. |
| Murad III. | مراد بن سليم | 982 — | 1575. |
| Muhammed III. | محمد بن مراد | 1003 — | 1594. |
| Ahmed I. | احمد بن محمد | 1012 — | 1603. |
| Mustafa I. | مصطفي بن محمد | 1027 — | 1618. |
| Osman II. | اثمان بن احمد | eod. | |
| Mustafa I. | iterum evocatus | 1031 — | 1622. |
| Murad IV. | مراد بن احمد | 1032 — | 1623. |
| Ibrahim | ابراهيم بن احمد | 1049 — | 1639. |
| Muhammed IV. | محمد بن ابراهيم | 1058 — | 1645. |

Suli-

*) Deguignes filios Baiazeti, Suliman I. et Musa Sultanorum seriei inseruit, numis consentientibus: Suliman mortuo patre Sultanus proclamatus. a. 805. Chr. 1403.
Musa Tschelebi - - - 813. Chr. 1410.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Suliman III | سليمان بن | | |
| | ابراهيم — | 1099 — | 1687. |
| Ahmed II. | احمد بن ابراهيم | 1102 — | 1691. |
| Mustafa II. | مصطفي بن | | |
| | محمد — | 1106 — | 1695. |
| Ahmed III. | احمد بن محمد | 1115 — | 1703. |
| Muhammed V. | محمود بن | | |
| | مصطفي — | 1143 — | 1730. |
| Osman III. | عثمان بن | | |
| | مصطفي — | 1168 — | 1754. |
| Mustafa III. | مصطفي بن | | |
| | احمد — | 1171 — | 1757. |
| Ahmed IIII. | عبد الحميد بن | | |
| | احمد مصطفي — | 1187 — | 1773. |
| Selim III. | سليم بن عبد | | |
| | الحميد — | 120[illegible] — | 178[illegible]. |

Praecipuae Officinae monetariae in variis vastissimi imperii ciuitatibus institutae hae fere sunt:

| | |
|---|---|
| ادرنه | Adrianopolis |
| ارض روم | Erzerum. |
| ازاق et ازقي | Azow. |
| اسكندرية / الاسكندرية | Alexandria. |
| سراي | اسلامبول |

| | |
|---|---|
| اسلامبول | Islambul s. Constantinopolis. |
| اسمير | Smyrna. |
| امد et اميده | Amida. |
| برسة et بروسه | Prusa. |
| بغداد | Bagdad. |
| تبريز | Tabriz. |
| تونس | Tunis. |
| جزاير | Algerium. |
| حلب | Aleppo. |
| خانجه | Chandsj e. |
| زمندره | Semendria. |
| طرابلس | Tripolis in Barbaria et Syria. |
| قلسي | Kelessi. |
| قسطنطينه et قنسطنطينيه | Constantinopolis. |
| مدسه | Madseh. |
| مصر | Myssr s. Alkáhirah. |
| موابرد | Mawaberd. |
| وان | Wan. |

وانوك in numulo Soliman f. Ibrahim XX.

§. 3.

Omnes, quotquot e gazis *Diezianis* videre mihi contigit sub primis imperii Osmanici Sultanis cusi numi, numero CCC et amplius, minuti, si paucos ex-

excipias, et aerei erant. Nullus tamen dubito, quin aureos etiam atque argenteos *) cudi curauerint. Rudi arte sunt ad vnum omnes fabricati, eamque ob caussam litterarum elementa saepius distorta, male picta et lectu difficilia. Aliam autem, quam Neschianam scripturam, in iis non deprehendi. Tituli eorum in certas classes dispesci possunt:

I. A.

*) In Repertorio or. et exeg. Tom. XVII. p. 230. argentei quidam excitantur. Numus 9. antiquissimus haec habet: A. بايزيد بن مراد Baiazid f. Morad. B. ٧٩٢ خلد ملكه perduret regnum eius, 792 Chr. 1390. Numus 10. A, السلطان محمد السعيد Sultan Muh. Al-Said? B. خلد الله ملكه وسلطانه بفضله durare faciat Deus regnum et imperium eius gratia sua. Nnmus 11. سليمان شاه بن سليم شاه Suliman Schah f. Selim Schah B. in area: ضرب بغداد cusus Bagdadi. Ad marginem: خلد الله ملكه وسلطانه في سنة ٩٢٦ durare faciat Deus regnum et imperium eius, anno 926. Chr. 1519. Relata, siue sint vera, siue falsa, vt primo numo excepto esse videntur, refero.

1) A. solum nomen v. c. عثمان *Osman;*
B. rota.

2) A. ٩١٩ / ٩٨١ B. ٩١٩ / ٩٩١ aut A. ٩١٩ / ٩٩١ B. ٩١٩ / ٩٩١
aut A. ٢١٢ / ١٩١١ B. ضرب (*Tab.* VI. n. 41. 43.)
سنة cusus anno..

Sub cifris istis, quibus Turcae in litterarum inscriptionibus interdum vtuntur, latent litterae Alphabeti, nomina componentes.

3) A. B, vtrinque nomen v. c. اورخان *Urchan.*

4) A. لا اله الا الله رسول الله B. محمد *Muhammed.* Quod quidem in antica omissum nomen, studio hic positum fuit, vt tam legati, quam Muhammedis fil. Baiazid nomen indicaret.

5) A. مراد بن اورخان Morad f. Urchan
B. خلد ملكه permaneat regnum eius.
ضرب برسه cusus Prusae.

6) A. بايزيد خان Baiazid Chan
خلد ملكه perennet regnum eius.
B. عز نصره celebris sit eius victoria.
ضرب برسه Cusus Prusae.

7) A.

7) A. السلطان Sultan
الملیک الاعظم rex maximus
محمد بایزید Muhammed Baiazid
B. خلد ملکه duret regnum et
ودولته imperium eius.
٨١٥ 815 Chr. 1412.

8) A. *Monogramma.* B. ٩٢٦ ضرب cusus 926 Chr. 1519. Forte primus est, qui monogramma, quod *Tugra* طوغري (*veritatem* s. verum monarchae signum,) appellant, et principis nomen artificiosum est, repraesentat.

9) A. خلد ملکه *perennet regnum eius!*
B. ٩٦٣ فلس بروسه *Fuls. Prusae 963 Chr. 1555.* (*Tab.* III. n. 32.) Postica pars in omnibus his numis, modo titulis in orbem ductis, aut rectis lineis; modo rotis, reticulis, cancellis, nodis, globulisque exornata est.

§. 4.

Aurei seculo XVI. antiquiores nondum mihi innotuerunt. In Ducato, qui inter meos antiquissimus est, legitur:

I. سلطان سليمان بن سليم خان عز نصره ضرب في قسطينه (* ٩٢٦ *Sultan Suliman fil. Selim Chan, cuius sit illustris victoria! Cusus Constantinopoli 926 Chr. 1519.*

II. ضارب النضر | صاحب العز والنصر | في البر والبحر | *cudens aurum* **) (aureum, est) *dominus potentiae et auxilii* s. victoriae (potens et auxiliarius s. victoriosus) *terra marique.* Quae quidem epigraphe rhythmica in aureis *Selim f. Soliman* Myssrae (في مصر) a. 974; in *Morad f. Selim* ibid. 982. in *Moh. f. Morad*, ibid. et Algeriae

*) Sic expressum vrbis nomen in numo extat.

**) Hottinger l. c. de numis oriental. p. 180. legit ضارب النصر cudens victoriam (quasi eam sicut monetam signans, h. e. peculiarem habens,) adstipulantibus numis, quos equidem vidi, vno excepto, qui النضر / aurum, argentum, habere videbatur. In aureo Myssrae a. 974. alterum والنصر scriptum erat: والنضر et nitoris (et florentissimns terra marique.). Optio lectoris est, vtra lectionis specie frui velit.

in numo Mah. b. Ibrahim Tunedi 1077. Chr. 1666.

riae 1003; *) in *Muh. f. Ibrahim* Tuneti 1058 (Tab. III. n. 31.); in *Muh. f. Mustafa* Tripoli 1143. *rel.* obtinet.

Sed aureus *Ahmed f. Muh.* Halebi et Myssrae s. Alcahirae a. 1012. Chr. 1603. excusus in *Auersa* mutatum habet titulum, quem successores in numis suis, iis praesertim, qui Constantinopoli sine Monogrammate prodierunt, (nam respublicae sub Sultani clientela constitutae non semper hoc imitantur, modo pristinum, modo modernum titulum eligentes), ad hunc vsque diem retinuerunt:

سُلْطَانُ ٱلْبَرَّيْنِ وَخَاقَانُ ٱلْبَحْرَيْنِ ٱلسُّلْطَانُ

بْنُ ٱلسُّلْطَانِ *Sultan duarum continentium* (Asiae et Europae), *et Monarcha duorum marium* (mediterranei et Pontus Euxini) *Sultan filius Sultan*, (Sultanis ortus.) Tab IV. n. 42. b.

*Obs. 1.* Recentiores numi, qui monogrammate carent, in *Aduersa* Sultani nomini votum: دام ملكه *perduret regnum eius*, cum vrbis et

 anni

*) Aere expressus extat in ill. de Murr Nachrichten von den Münzen der Araber p. 41. coll. Ei Iournal zur Kunstgeschichte T. X. p. 268.

anni nota adiungunt, nulla facta in *Auersa* tituli consueti immutatione. Tab.IV. n. 44 — 46.

2. Quorum *Aduersam* solum monogramma occupat, qui *Tugralii* (طوغرلو) dicuntur, in eorum *Auersa* nihil nisi — ضرب في السلامبول *cusus Constantinopoli*, aera *cifris*, sine praemissa dictione: سنة *anno*, notata, nec non *cifra* litterae ب primae dictionis superimposita conspicitur. Sed ab huius commatis numulis vox ضرب, quam habent maioris moduli numi, abest. (Tab.IV. n. 47.) Notatu autem dignum est, has *cifras* praeter aeram, soli huic numorum regnante Mustafa III. Constantinopoli cusorum speciei proprias fere esse, v. c. Numi maioris moduli (nam minoris moduli numi loco cifrae *asteriscum*, *florem* rel. habent,) anni 1171 dantur his cifris: ٢, ٣, ٤, ٦, ٨, ٩, ٨٢, ٨٣, ٨٠, ٨٦, ٨٧; ~~anni 1172. cifra ٨٠~~ insigniti, quae quum annum imperii haud indigitent, (Mustafa namque XVII, minime LXXX etc. annos regnauit,) quid proprie indicent, me prorsus latet. Hoc autem silendum non est, quod in dictis Mustafae numis praeter Zifras vnitatem denotantes, nullas nisi numerum octogesimum in quibusdam, qui tam monogrammate praediti sunt, quam sine illo

illo veniunt, exhibentes detegere mihi licuerit. Hinc pronus sum ad statuendum, quod duplicatae cifrae in his numis arithmetice addendae annum imperii omnino indicare queant, v. c. 8 et 7, efficiunt XV. et sic in reliquis. (Tab. III. n. 36.)

3. Quodsi monogramma areae dimidiam partem supernam sibi vindicauerit, residua pars *vel* dictionibus: عز نصر ضرب في .. *insignis sit victoria eius! cusus in vel* solo ضرب في *cusus in* oneratur.) (Tab IV. n. 42.)

4. In aureis *Ahmedis III.* a. 1115. Chr. 1703. pro قسطنطينية *Constantinopoli*, nomen ominosum اسلامبول *Islambul*, i. e. *Islamismi vrbs* (πολις) (vt olim Chalifae sedes *Bagdad*, a Raschido, metropolis *Islamismi* in numis salutabatur,) primum adhibitum deprehendi, licet in argenteis eius vetustum nomen manserit. In argenteis Mustafae III. idem ingeniosum nomen etiam occurrit. Sed Ahmedis III. successores, ni fallor, tantummodo aureos suos hoc nomine insigniuerunt.

5. Respublicae, quae sub Sultani patrocinio sunt, numos nomine eius signare tenentur. Hinc numi earum iisdem ac ii, qui Constantinopoli cuduntur, titulis communiter ornati sunt. Raro nouis



nouis vocabulis titulos augent et immutant. In aureo haec legi:

I. سلطان محمود خان عز نصره *Sultan Mahmud Chan, cuius victoria insignis sit*

II. وايده ضرب في جزايير ١١٦٠. *et firmam eam* (victoriam) *reddat! Cusus Algeriae* 1160. Chr. 1747.

Obs. *Tuneti* argentei minimi moduli, quos *Para* dicunt, titulo Sultani insigniti, more prisco forma quadrata excudi haud insolens est. *Aspri* Algeriorum eadem forma solis lineis, et nulla epigraphe cuduntur.

6. Quum *Ali Bey* imperium Sultani in Aegypto rumperet, numos cudi fecit, in quorum antica parte solum monogramma; in postica vero: علي ضرب في مصر سنة ١١٨٣ *Ali, cusus Myssrae* (s. Alkahirae) *anno 1183.* Chr. 1769. comparent. (Tab. III. n. 33.)

7. Numi a Sultanis cusi, anno, quo quisque imperium auspicatus est, vsitate insigniti sunt. Ab hac tamen regula numi, praesertim minuti et cuprei, (interdum et aurei v. c, *Tripoli* 1153) *Algeriae* et *Tuneti* editi saepe aberrant, alium imperii annum exhibentes, v. c. aerei mei *Tuneti*, regnante

regnante Mahmud f. Mustafa 1149. Chr. 1736. et sub Mustafa III. a. 1178. Chr. 1764. signati fuerunt.

8. Aureum singularissimum Constantinopoli cusum, (Tab. IV. n. 40.) qui in numophylacio *Dieziano* asseruatur, vidi hac inscriptione praeditum: I. Symbolum Schütarum:

لا اله الا الله محمد رسول الله وعلي ولي الله *non est Deus, nisi Deus, Muh. est leg. Dei, Ali est vicarius Dei.*

II. Area ضرب ... قسطنطينيه Supra aream: figura cordis inuersi, et in ea dictionis fere oblitteratae litterae forte بالله *in Deo* adparent. In inferiori marginis parte aera ١١٨٩ aut ١١٨٩ Chr. 1772. aut 1775. extat. Fama fert, Sultanum *Abdol-Hamid* precibus Schütarum sectae addictae pellicis, quam deperiit, commotum, Schütarum symbolum numo in scribi iussisse. Silentio heic praestereundus non est numus Paschae Turcici, Goettingae in bibliotheca asseruatus, cuius *Aduersa* symbolum schüticum; *) *Auersa* vero litteris

 per-

*) Tychsenii comm. III. pag. 40. num. 45.

perplexis monstrate dicitur IIV.? امير المورد باشا ضرب *Emir Al-Mûrad Paschah* 1170. *Chr.* 1756. Sed quum hic Pascha rebellis fuisse videatur, eius numus numo Ali Bey supra n. 5. adducto associandus erit.

9. Ad numos necessitatis caussa cusos (*Noth-münzen*) referendi videntur sequentes, qui in laudato numophylacio *Dieziano* reconduntur:

a) Numus stanneus nitide signatus, cui ab vtraque parte inscriptum legitur: يبني التون *jeini altun*, leuis ducatus (Tab. III. n. 57.)

b. Numus, si ita appellare fas est, regnante, vt fama est, Sulimano II. e corio factus.

10. Numos Persicos et Alemanicos recusos, seu typo monetali turcico denuo signatos, facile a veris numis turcicis discernere licet. Nam pristinae epigraphes vestigia clare in iis adparent: Argenteum Persic. *Tabrizii* a. 1703. recusum ipse possideo. Alium Caesarum Constantinopoli a. 1694. recusum *Relandus* de numis Samaritanis diss. V. tab. ad p. 172. aere expressit.

11. *Cantemir* in hist. regni Osman. T. I. p. 53. ed. gall. Paris 1743. 8. mentionem iniicit numorum, quos Sultanus in castris cudere solitus sit,

sit, eum epigraphe: في اوردوي همايوم i. e. *fi ordui humajum*, in castris celsissimi, quos tamen nunquam vidi.

## §. 5.

### De numis Chanorum Tauriae.

Numi recentiores *Chanorum-Crimensium*, praeter principum, vrbis monetariae nomina, et aeram, quae duo posteriora ab antiquioribus a me visis, qui tamen omnes aerei erant, absunt, nihil notatu dignum continent, nisi quod olim museorum cimelia sint futura. Recentiores omnes *vel* Bachtsjiserai (باغجه سراي) *vel* Caffa (كفا) a. 1191. Chr. 1777. conflati, *) duplicis speciei sunt:

1) Qui in *Aduersa* Monogramma; in *Auersa*: ضرب باغجه سراي (كفا) في سنة ١١٩١ *cusus Bachtsjiserai* (Caffae) *anno 1191* habent. (Tab. III. n. 33. et 35.)

2. In

*) In Bernoulli Sammlung kleiner Reisebeschreibungen Tom. XI. p. 419. tredecim, diuersi moduli numi accurate aeri incisi deprehenduntur.

2. In quorum Aduersa legitur: خان شاهين كراي بن احمد كراي سلطان *Chan Schahin Gheraj fil. Ahmed Gherai Sultan.* (Tab. III. n. 37.)

## §. 6.

### De numis Imamorum Arabiae felicis.

Numi *Imamorum Iemenensium*, qui ad meam notitiam venerunt, omnes recentioris aetatis sunt. Quos cudi fecit maioris moduli numos *Almohdi*, sequentis tenoris sunt: (*Niebuhr* tab. XIV. c.)

I. امير المهدي العباس بن المنصور بن المتوكل *Princeps fidelium Almohdi Alabbas fil. Almanssur, fil. Almutawakkel,*

II. بن القسيم بن الحسين بن المهدي دامت خلافته ضرب في صنعا ١١٧٧ *fil. kasem f. Hossein f. Mohdi, perennet chalifatus eius! Cusus Sanaa* 1177. Chr. 1763.

In minoris moduli numis, quos possideo, in *Aduersa* solum nomen المهدي *Almohdi* cum aera ١١٦١ 1161. Chr. 1747. et in *Aversa* vel ضرب صنعا سنة *cusus Sanaa anno*, vel امير المومنين

المومنين *princeps fidelium* legere est. (Tab. II. n. 28.) Alius maioris moduli numus elegantissimus anno 1140. Chr. 1727. cusus, in *numophylacio Ducali Mecklenburgico* extat, qui sub Almohdii patre, *Almanssur* prodiit: (Tab. II. n. 25.)

I. Symbolum Schütarum cum aera 1140. Chr. 1727.

II. Circellus in medio areae, nomen الله *Deus* inclusum habet, quem epigraphe circumdat: امير المومنين المنصور بالله خليفته حقا الراعي الي (الله) *Princeps fidelium Almansur billah, cuius vicarius vere respicit ad Deum.* (Vox الله in medio areae cum الي coniungenda est.)

Minoris moduli numum argenteum eiusdem Almansuris sine anni nota meis annumero:

I. In areae medio: ⊙. *Margo:* عبد الله المنصور *Abdallah Almansur.*

II. Area: ⊙. *Margo:* عز نصره ضرب صنعا insignis sit victoria eius! Cusus Sanaa. (Tab. II. n. 29.)

# Cap. III.

## De numorum Persicorum titulis.

### §. 1.

Dynastia Persarum Sophiana, quam *Ismail fil. Scheich Haidar Alsophi* اسماعيل بن الشيخ حيدر الصوفي qui genus ab Hossein fil. Ali duxisse dicitur, fundauit, sequentes habuit principes:

1. Ismail Alsophi
   اسماعيل الصوفي 892 Chr. 1486.
2. Schah Thamasp eius fil. شاه طهماسب — 930 — 1523.
3. Ismail eius fil. — — 983 — 1575.
4. Moham. Chodabende fil. Tham. محمد خدابنده 985 — 1577.
5. Hamzeh f. Muh. حامزه 993 — 1583.
6. Ismail f. Muh. — — 993 — 1583.
7. Abbas I. fil. Muh. عباس 997 — 1588.
8. Sefi f. Sefi f. Abbas صفي 1039 — 1629.
   Morbo laborans nomen *Suliman* accepit.
9. Abbas II. f. Sefi عباس 1052 — 1642.
10.

10. Soliman f. Abb. سليمان 1077 — 1666.
11. Hossein f. Solim. حسين 1094 — 1682.
Mahmud Agwanensis throno eum deturbauit. — 1135 — 1722.
Aschraf f. Mahmud اشرف بن محمود — 1137 — 1724.
21. Thamasp II f. Hossein طهماسب — 1143 — 1730.
13. Abbas III. f. Thamasp. عباس — — 1145 — 1732.
Vltimus stirpis Sefianae fuit.
Quo mortuo, eius belli dux كولي خان *Culichan*, sub nomine شاه نادر *Schah*
14. Nadir solium persicum conscendit — — 1148 — 1735.
15. Schah Rokh f. Nadir شاه رخ — — 1162 — 1748.
16. Kerim Chan كريم خان 1173 — 1759.
Muhammed interfectus a Russis 1797.
Baba chan sub tit. Fetah-Ali Chan a. 1797. thronum ascendit
§. 2.

Monetae loca a me obseruata sunt:
احمد اباد Ahmedabad.
ايروان Irwân. (Eriwan)

# Aureus Av. اصبهان
السلطان ابن السلطان فتحعلي شاه قاقار
Sultan fil. Sultani Feth-Ali Schah gloriosi
Rev. ضرب تبريز دار السلطنة cusus Tebrizi aula Sultanatus.

| | |
|---|---|
| اصبهان / اصفهان | Ispahan |
| تبريز | Tebriz |
| تفليس | Teflis |
| دربند | Derbend |
| جوي Choij in Aderbidjan | |
| رايج | Raidsj. |
| رشت | Rescht |
| ششتر | Schuster |
| شماخي | Schamagia |
| قزوين et قزبين | Kasbin |
| قندهار | Kandahar |
| گنجه Gandsja | |
| كاشان | Caschan |
| كرمان | Kerman |
| كنجه | Kendsja. Gendsja in Iran |
| لاهور | Lahor |
| مازندران | Mazenderan |
| مشهد | Meschehed |
| نخجوان | Nachsjiwan |
| وان | Wan. |

§. 3.

Numi ante Abbas I. editi ad meam notitiam non venerunt, vno regis *Chodabende* excepto, Ole-

quem Olearius l. c. aere expressit, eius nomine insignitum, et Tabrizii, vt videtur, excusum.

1. In eius, nepotis Abbasi II, et Thamaspis (Tab. II. n. 21.) numis *pars antica* Symbolum schütarum, et in marginis superficie nomina XII. Imamorum; *pars postica* autem exhibent: سکه صاحب قراني بکيتي زد از توفيق حق عباس *) *numus domini constellationis, regnantis, cusus auxilio veri* (Dei), *Abbas.*

2. Numi *Sefi* duplicis generis sunt. *Alii* nomine Sefi praediti in *Auersa* habent: است از خان غلام صفي *est ex animo mancipium* (scil. Ali Ridhae) *Sefi.* Faciem eius repraesentauit *Olearius* itinerar. l. V. c. VI. in numis *Rescht* a. 1039. et Tabrizii 1043. euulgatis. *Alii* altero eius nomine *Soliman* gaudentes exhibent in *Aversa:* سليمان

*) In numo nepotis Abbasi II. Caschan a. ۱۰۷۳ Chr. 1661. post nomen eius: ثاني secundus reperitur. Tavernierii (Tom. II. fol. 5. n. 1. 2. 3.) Auersae explicationem: Le Conquerant du Monde Abas II. nous donne la permission de batre cette monnoye dans la ville de, falsissímam esse, supra exhibita eiusdem translatio probat.

سلیمان بنده شاه ولایت ضرب مشهد ۱۰۴۰
*Soliman seruus regis terrarum*, (scil. Ali Ridhae) *cusus Meschehed 1040.* Chr. 1630. Vterque numus in *Aduersa* symbolo Schütarum ornatus est. Eiusdem quoque commatis est numus Sulimani fil. Abbas II. نخجوان Naschsjiwan a. 1077. Chr. 1666. procusus.

3. Dantur varii numorum *Hossein* moduli, in *Aduersa* quidem Abbasiis similes; in *Aversa* vero discrepantes.

a. Oblongi, quorum margines *vel* globulis exornati, et Tebrizii a. 1127. et 1129 Chr. 1714 conflati, *vel* in *Aduersa* XII. Imamorum nominibus; in *Aversa* autem hoc argumento absoluuntur: السلطان بن السلطان وخاقان بن الخاقان خلد الله ملكه وسلطانته *Sultan fil. Sultani, et Chakan f. Chakan, cuius regnum et monarchiam Deus perennare faciat.* Area in vtroque habet: حسین بنده شاه ولایت *Hossein Seruus regis terrarum* (scil. *Ali Ridhae.*)

b. Rotundi minores aurei et argentei easdem inscriptiones monstrant. (Tab. II. n. 24.

Isfa-

Isfahani 1135. Chr. 1722.) Metallio in museo cuf. Borg. Tom. I. tab. VIII. anni 1137. Chr. 1724. in *Aversa* meris Hosseini ancomiis, v. c. السلطان العادل الكامل ابو مظفر بهادر خان *Sultan iustus, perfectus, victoriosus*, strenuus Chan, absoluitur. Alius minoris moduli Tebrizi 1130 Chr. 1717. cusus in Aduersa symbolum Schiiticum, in Aversa: حسين بنده شاه ولايت ضرب تبريز ۱۱۳۰

4. *Aschrafi* duo mihi cogniti sunt numi, quorum *alter* in *Aduersa*: السلطان اشرف *Sultan Aschraf*, et in *Auersa*: خلد الله ملكه ضرب مشهد ۱۱۳۷ *conseruet Deus regnum eius! cusus Meschehed 1137. Chr. 1726;* (cf. Tab. VI. n. 59. b.) *alter* autem in *Aduersa* symbolum: لا اله الا الله محمد رسول الله et in *auersa* habet: شد سكة جهاريار جو شعار ريس الطاب شاه اشرف ضرب قزوين ۱۱۳۸ Prodit *moneta quatuor* (Imamis prioribus dicata) *sicut sonus* (denunciatio) *Principis boni Schah Aschraf, cusa Cazbini* 1138. Chr. 1725.

5. *Nadiri* numorum variae dantur species *). Nouis titulis ornatos sequentes vidi:

 a. Au-

